حصہ اول فہرس — دواوین عدد

CAROLI RIEU

DE

ABUL-ALAE

POETAE ARABICI

VITA ET CARMINIBUS

SECUNDUM CODICES LEIDANOS ET PARISIENSEM

COMMENTATIO



BONNAE,

H. B. KOENIG.

MDCCCXLIII.

VIRO ILLUSTRISSIMO

IOANNI HUMBERTO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

ET

DE SE MERITISSIMO

HAS PAGELLAS

GRATI PIIQUE ANIMI

TESTES ESSE VULT

SCRIPTOR.

Praefatio.

Postquam per triennium in litteras Arabicas incubui, consilium cepi edendi speciminis alicuius, quo, quid profecissem in hac disciplina, possem ostendere. Quare quum virum illustrissimum, FREYTAGIUM, praeceptorem meum dilectissimum adiissem. ille, qua est humanitate, non solum consilii auctorem, sed etiam perficiundi adiutorem, se mihi praebuit. Namque Abul-Alae carmina quaedam praestantiora, inedita, eademque scholiis illustrata luculentis, quae ipse ex codice Parisiensi descripserat, benignissime mecum communicavit.

Mox autem alia mihi subsidia obtigerunt. Quum enim Lugdunum Batavorum itinere adiissem, clarissimus WEYERS, cui gaudeo posse gratias agere publice, et amplissimos Bibliothecae Lugdunensis thesauros mihi aperuit, et duos codices (472 et 605), qui totum Abul-Alae Diwanum una cum Tebrizii et Abul-fadhli Khowarezmensis commentariis exhibebant, summa liberalitate in usum privatum mihi permisit. — Quibus instructus adiumentis, potui, quod primum ceperam consilium, amplificare, et ultra ter-

minos ab initio constitutos opusculum meum extendere. Quo opusculo quid voluerim, paucis verbis exponam. Ac primum quidem volui bipartitum esse, ita ut prior pars Abul-Alae vitam contineret, protractam quidem, magnam partem, ex auctoribus iam antea publici iuris factis, auctam autem novis testimoniis, ex ipsius poetae carminibus depromtis. Altera commentationis pars tribus constat capitibus. Quorum in primo disputavi de Diwano in universum, atque de variis, quae eo continentur, carminum generibus. In secundo, quae sit Abul-Alae poeseos conditio atque natura, exponere atque exemplis illustrare sum conatus. Tertio denique argumenta praecipua, in quibus carmina Abul-Alae versantur, singulatim exsecutus, de unoquoque specimina praestantiora attuli.

Hoc argumento tractando si ullo modo satisfactum est a me virorum doctorum exspectationi, debeo hoc, maximam partem, viro clarissimo, Freytagio, cuius ope licuit mihi viam ad altiora in hac disciplina munire, cuique propter summa in me merita gratum animum publice testificor. Neque profecto omittendum est mihi quantum debeam Gildemeistero, viro doctissimo, cui propter institutionem et consilia et, qua me prosecutus est, benignitate gratias habeo et habebo semper quam possum maximas.

PARS PRIOR

De Abul-Alae vita.

ابو العلاء احمد بن عبد الله بن سليمان التنوخى المعرّى

Abul-Ala Ahmed filius Abdallahi filii Soleimani, Maarrensis est dictus, quippe natus in Syriae urbe Maarra [1]), quae media est Halebum inter et Emessam, munita quidem atque illis temporibus celeberrima. Tenuchi autem nomen est gentilitium a tribu Tenuch [2]), ex qua erat

---

[1]) Primum quidem urbs illa, quum ad Emessae praefecturam pertineret معرة حمص vocata est. Postea vero معرة النعمان nomen accepit a Nomano Beschiri filio Medinensi, qui, Moawia Khalifa regnante, huic una et Emessae praefuit. Hoc cognomine distinguebatur ab altera, Maarra معرة نسرين vulgo مصرين dicta, quae in Kinnesrini praefectura sita erat. Quarum quidem urbium, qui in hac natus erat, huic معرنسى, qui in illa, huic معرنى nomen erat gentilitium. Verum nomina illa prioribus tantum temporibus usurpabantur; Abul-Ala simpliciter Maarri nomine notus est.

[2]) تنوخ fuit complurium tribuum appellatio communis,

oriundus, derivatum; quae tribus a Kahtano, pura et genuina Arabum stirpe, originem duxit, et una fuit trium illarum, quae religionem Christianam profitebantur, Bahra

---

quae, quum in Bahrein ad sinum Persicum convenissent, ibique firmas sedes occupassent, foedere et communi Christianae fidei professione se invicem ligaverunt. Bellis pollebant et suis regibus regebantur, quorum inter antiquissimos الحرث بن فهم ab Ibn-Khallicano memoratur (Ed. Slane p. 391). Poesin etiam iam ante Mohammedem coluerunt, atque eorum carmina poeta illustris القاضي ابو علي المحسن بن ابي القسم ipse Tenuchita collegit atque ديوان تيم اللات inscripsit. Quae haud contemnenda fuisse, hoc argumenti satis est, quod Abul-Ala, doctissimus ille poeseos existimator, cum Bagdadi versaretur, et hoc divanum, ab ipso illius Mohassini filio secum communicatum, legisset, eo valde est delectatus. Verum, ut ad rem revertar, monendum est, varias illas tribus tamen ad unum genitorem referendas esse, scilicet ad تيم الله, seu rectius, ut ipse Abul-Ala eum in carmine quodam nominat, تيم اللات (h. e. servus Allatae, antiquae illius Arabum Deae). Cuius genealogia a Tebrizio et Ibn-Khallicano sic exhibetur تيم الله بن اسد بن وبرة بن تغلب بن حلوان بن عمران بن الحاف بن قضاعة. De Codhaa autem Arabum genealogi non consentiunt, nam alii ad معد بن عدنان, igitur ad Mostarebum genus referunt (Ibn-Khal. p. 648 et Eichhorn Monum. Tab. II.). Alii autem, eique plurimi et maiori cum probabilitate ad ملك بن حمير oriundum illum a Kahtano, genuinorum Arabum patre. (Ibn. Khal. ib. Eichhorn Tab. XI.). Tenuch autem tribus, tota aut certe magnam partem in Bahrein non permansit, sed in Syriam migravit atque Kinnesrini et in Halebi tractibus iam consederat, quum, sub Omari Khalifae imperio, Moslemi, Abu-Obeida et Khaledo ducibus, eam Syriae partem, anno ab Hedjra 15, occupaverunt. Primum quidem Tenuchitae, Moslimorum vi-

Tenuch et Taglib. Natus est autem Abul-Ala anno post Prophetae migrationem 363mo (post Chr. n. 973). Quin etiam Arabum biographi tanto sunt in his rebus studio et diligentia, ut non annum modo et mensem, sed diem etiam atque horam, qua vir quidam conspicuus natus sit, religiose memoriae tradant. Haec igitur, etsi levia sunt, tamen, si cui tanta accuratio placuerit, ex codice

---

ctoriis perterriti, foedus cum eis inierunt, quo se et ad legem novam et ad tributum solvendum adstringebant. Paucis autem post mensibus, quum Heraclius magnas copias ex Asia adversus Moslimos misisset, libertatis spe commoti, iugum nuper sibi impositum excusserunt atque ad fidei suae consortes transierunt; quamquam adversa in hac re usi sunt fortuna; nam magno praelio apud Kinnesrinum una cum Graecis profligati, victorum imperium fidemque inviti subierunt. (Vide Selecta ex hist. Halebi ed. cl. Freytag p. 1 et 2.). Nonnullos tamen Tenuchitas in religione Christiana clam palamve permansisse, intelligere licet, tum ex Abul-Alae cuiusdam exemplo, quem anno 180 mortuum et ad legem Christianam educatum fuisse, auctor est Ibn-Khallicanus (ed. Wustenfeld. II. 147.), tum inde, quod ipse Abul-Ala noster a nonnullis pro occulto doctrinae Christianae sectatore habitus est.

Postremo de ipsa verbi تنوخ pronuntiatione dicendum est; nam inter ipsos auctores Arabicos disceptatur, utrum tenuch an tonuch dicendum sit; quum Ibn-Khallicanus fatha, Firuzabadius dhamma vocali efferri velit. Sed priori sententiae multum accedit probabilitatis ex Tebrizii auctoritate, antiquiore illa et viri harum rerum peritissimi, qui Tenuch formam فَعُول esse vult a تنخ consedendo aut formam تَفْعُل ab الاناخة, quod idem fere valet. (v. Hamasam p. 237.).

(472) hic adscribam. Ergo natum tradunt anno supra memorato, die Veneris vigesimo septimo Rebii mensis prioris, sub solis occasum.

Quartum agens aetatis annum variolis affectus est, cuius morbi exitus in totam eius vitam maximi fuit momenti; convaluit quidem sed luminibus orbatus. Nam, quum oculus eius dexter macula quadam alba obductus fuisset, continuo alter quoque captus est. Inde ab eo tempore per totum vitae spatium caecus mansit; atque quae fuerit seni oculorum vultusque species, docet nos Ahmed Silafius, Al-hafeth dictus, qui vitam Abul-Alae conscripsit. Nam haec Abdallahi cuiusdam verba tradit, qui poetam nostrum Maarrae in eius domo, cum patruo quodam suo adolescentulus visum adierat: »Invenimus »eum, inquit, aetate iam provectum, in strato laneo se- »dentem; postquam ad eum accessi, capiti meo, bene »comprecatus, manum imposuit. Etsi illo tempore ado- »lescens admodum essem, tamen nunc etiam senem illum »mihi conspicere videor, macro et extenuato, ut erat, »corpore, vultu variolis signato, oculo altero prominente, »altero in cavitate valde depresso [1].»

---

[1] احداهما نادرة والاخرى غائرة. Miror, in re quae videtur tam plana, virum sagacissimum cl. Sylv. de Sacy haesisse, qui quum veram vocis نادرة significationem parum perspexisset, ناظرة substituendum iudicavit, ita ut sensus esset: oculus alter prospiciebat, alter depressus erat. Hoc vero, ut arbitror, prorsus est repudiandum; nam primo, omnes fere codices constat نادرة exhibere, quae lectio, scriptura varia بارزة, a Wustenfeld ex uno codice annotata, non nisi confirmatur; nam eadem omnino vis est utriusque vocis, sc. prominens. Quae significatio,

Verumtamen non defuerunt, qui discrepantia ab his de Abul-Alae caecitate traderent. Nam, non nisi sub finem vitae lumen eum amisisse, in libro Tazkirat-es-schoara inscripto, Dauletschah scriptor Persicus autumat. Ibn-Shohna autem auctor est, fuisse, qui caecum esse natum contenderent. Haec autem, cum ipsa per se parum habent auctoritatis, quippe quae nono demum ab hedjra saeculo scripta sunt, tum ideo non sunt admittenda, quia eis prorsus repugnant, quae, et apud Ibn-Khallicanum, et in plurimis Divani codicibus, iisque veterrimis, adscripta, omnino inter se concordantia, leguntur, scilicet, sub finem anni 366 aut ineunte anno 367 oculis eum captum esse. Quin ipsum Abul-Alam ad caecitatem suam allusisse, carmina ipsius docent non semel atque aliqua de hac re scriptorum testimonia.

Nam quum Motenabbii carmina permagni faceret, eisque interpretandis multam operam impendisset, hunc illius versum ad se referre solebat, quippe quo ipse divinatoria quadam mente ab illo praevisus fuisset atque ante tempus significatus: Metr. Basit.

انا الذى نَظَرَ الاعمى الى ادبى وأَسْمَعَتْ كلماتى من به صَمَمُ

»Is ego sum cuius elegantiam caecus conspexit, cuius verba surdum audientem reddiderunt.«

Alias semet ipsum alloquens dixit: Metr. Sari.

---

cum alteri غائرة directe sit opposita, aptissimum hoc loco sensum praebet. Tum autem, quum ex aliis certissimis testimoniis compertum habeamus, non uno tantum oculo captum, sed omnino caecum Abul-Alam fuisse, nihil causae est, cur ad Sacyi coniecturam recurramus.

ابا العلاء بن سليمانا ان العمى اولاك احسانا
لو ابصرت عيناك هذا الورى لم ير انسانك انسانا

»Abul-Ala fili Soleimani, caecitas beneficium in te contulit, nam si oculi tui hanc generationem conspexissent, nullum pupilla tua vidisset hominem[1]).«

Quum igitur constet, a prima pueritia caecum Abul-Alam fuisse, summopere mirandum videtur, quantus in puero ingenii vigor, quantum studium, quanta pertinacia fuerit, qui, quum tot et tantis ex caecitate difficultatibus prima eius institutio esset circumventa et impedita, omnes tamen discendi cupidine flagrans superaverit et excelsissimum sit adeptus eruditionis gradum. Poeticum etiam ejus ingenium caecitate neque exstinctum neque oppressum fuisse, id quidem, licet non minori admiratione dignum videatur, tamen facilius intelligemus, si recte perspexerimus qualis fuerit Abul-Alae poesis, quippe quae artificiosa fuerit et magis in docta imaginum lectione collectarum conformatione posita, quam ex animi motu et vivido quasi vitae fonte profluens. Caeterum multa eiusmodi exempla monimenta poeseos Arabicae exhibent. Quorum si qua mihi

---

[1]) Hoc depromtum videtur ab his Dibili poetae versibus, (vid. Nufhut-ool-Yumun p. 542.) دعبل بن على qui Mamuno Khalifa vixit: Metr. Basit.

ما اكثر الناس لا بل ما اقلهم الله يعلم انى لم اقل فندا
انى لافتح عينى حين افتحها على كثير و لكن لا ارى احدا

Quam multi sunt homines, immo quam pauci, (novit Deus me haud vana locutum esse;) oculos cum aperio, in multos aperio, sed hominem conspicio nullum.

proferre licuerit Besscharum primum memorabo بشّار بن برد, qui Mahdio Khalifa vixit, et inter praestantissimos illius aetatis poetas ab Ibn-Khalicano p. 131 recensetur. Qui, quum caecus natus esset, neque eo minus amicam amoresque decantare soleret, per aures amore se tactum dicebat: Metr. Basit.

يا قومُ اذنى لبعض الحىّ عاشقةٌ والاذن تَعْشَق قبل العين أَحيانا

قالوا بمن لا ترى تهذّى فقلتُ لهم الاذن كالعين تُوفى القلب ما كانا

»O homines, auris mea puellae cuiusdam ex tribu illa amore capta est; auris interdum oculo citius amore capitur. Dixerunt: Ab ea duceris quam non vides; ego respondi: tam auris quam oculus ad hanc conditionem animum redigere potest.«

Alius etiam poeta egregius ابو الحسن على بن جبلة vulgo العكوّك nomine notus, qui Abu-Nuasi aequalis fuit et aemulus, septimo aetatis anno, variolis, sicut Abul-Ala, visu privatus est. (vid. Ibn. Khal. p. 383.). Horum uterque Abul-Alam tempore antecessit; ex recentioribus unius tantum mentionem faciam مكّى الضرير (Ibn. Khal. ed. Wustenf. IX, 1.) qui sexto demum post hedjram saeculo vixit. Hic vehemens fuit Abul-Alae admirator, eiusque poeseos sectator, atque gloriari solebat, doctrinam et elegantiam non minus quam caecitatem se cum Abul-Ala communes habere.

Sed de his satis dictum est; videamus quibus Abul-Ala usus sit magistris. Primum quidem a patre Abdallaho in urbe patria eruditus est, a quo imprimis grammaticam et linguam Arabicam didicit, illam antiquam scilicet Arabum campestrium, quam, qui posteriori aetate

atque in urbibus nati erant, nisi didicissent, intelligere non poterant. Hunc Abul-Alae patrem, quum alibi nusquam memoratum invenerim, ut obscurum silentio praetermitterem, nisi eum noster in carmine funebri, quo mortuum deflevit, ut poetam eximium et omnes facile facundia superantem non minus, quam propter egregias animi virtutes vitaeque sanctitatem summis laudibus extulisset. Quarum quidem, quin pars aliqua pietati filii aut ingenio poetae adscribenda sit, non dubito. Inde hos, qui huc maxime pertinent, versus proferam.

Metr. Tawil.

مضى طاهرَ الجُثمانِ والنفسِ والكَرى وسُهْدِ المُنى والجَيبِ والذيلِ والرُدْنِ

فيا ليت شعري هل يَخِفُّ وَقارُه اذا صار أُحْدٌ في القيامة كالعِهنِ

وهل يرِدُ الحَوضَ الرَويَّ مبادرًا مع الناس ام يَأْبَى الزِحامَ فَيَسْتَأْنِي

حِجًى زادَهُ من جُرْءةٍ وسماحةٍ وبعضُ الحِجى داعٍ الى البُخلِ والجُبْنِ

. . . .

أَمَوْلَى القوافي كم اراكَ انقيادُها لكَ الفُصحاء العُربُ كالعَجَمِ اللُكْنِ

. . . .

يُوافيكَ عن ربِّ العُلى الصِدقُ بالرِضى بشيرًا وتَلقاكَ الأمانةُ بالأَمْنِ

ويكفي شهيدُ المرءِ غيرَكَ هيبةً وتُقيًا وان يُسْأَلْ شهيدُكَ لا يَكُنِ

يُصَرِّحْ بقولٍ دونه المسكُ نَفْحةً وفِعلٍ كامواهِ الجِنانِ بلا أَسْنِ

»Discessit ille purus corpore et animo, purus et in

somniis et in desideriis dum vigilabat[1]), purus sinu, syrmate et manica[2]).

»Utinam scirem, num futurum sit, ut mitis eius gravitas die resurrectionis levior fiat, quum Ohod mons lanae carptae similis evadet[3]).

»Utrum lacum sitim explentem[4]), certatim cum caeteris properans, aditurus sit, an potius, turbae se immittere dedignans, moraturus sit.

»Prudentia praeditus erat, quae eius fortitudinem et

---

[1]) h. e. Non sibi quicquam in somniis facere videbatur, quod revera facienti dedecori fuisset. Vigilans autem nihil nisi recta et honesta in votis habebat. Idem fere alibi pluribus verbis sic explicavit. Metr. Tawil.

كريمْ حليم الجفنِ والنفسِ لا يَرى اذا هوَ أغفى ما يرى الناسُ في الحُلْمِ

»Generosus erat, oculis animoque mitis, neque ea dormiens videbat quae homines in somniis videre solent.«

[2]) His figuratim expressum est quanta fuerit castitate et continentia. جيب nonnumquam pro صدر dicitur. vid. Ham. p. 379.

[3]) Quum eum in mansuetudine et animi aequabilitate semper constantem viderim, scire velim, futurumne sit, ut levetur gravitas illa, quum firmissimus quisque mons, die novissima, levissimus fiet. Alludit ad haec Corani verba: يومَ تكون السماء كالمهل و تكون الجبال كالعهن. Die, qua coelum erit velut aes fusum et montes ut lana carpta Vid. Sur. 101. v. 4. et Sur. 70. v. 8. Ohod magnus est Arabiae mons prope Medinam Septentrionem versus.

[4]) Illud innuit, quod Prophetae vocatur aquarium, unde beati post resurrectionem bibituri sunt.

liberalitatem augebat, quamquam prudentia nonnunquam ad avaritiam et ignaviam perducit.

»O domine metrorum, quam saepe, adeo tibi erant morigera, disertissimi Arabum tibi infantes barbari visi sunt.

»Sinceritas tua veniet ad te tanquam faustus nuncius a Rege gloriae gratiam tibi nuncians, atque integritas tua securitatem tibi obviam afferet. (sc. die iudicii extremi).

»Caeterorum testes translate loquentur, multa prae pudore reticentes[1], tuus autem, si interrogatus fuerit, nihil occultabit;

»Immo diserte proferet verba moscho suavius olentia, et facta aquarum Paradisi instar pura atque corruptionis expertia.«

Quum autem adolescenti iam unus praeceptor non satis esset, Halebum profectus et Mohammedis cuiusdam محمد بن عبد الله بن سعد grammatici disciplina usus, ad altiora in literis penetravit. Quamquam ipse sibi optimus fuit praeceptor, nam ad studium poeseos tam antiquae quam recentioris summa diligentia incubuit, et, quum tenacissima, ut caeci solent, praeditus esset memoria, brevi tempore tam ingentem doctrinae thesaurum lectionibus illis sibi congessit, ut omnium aetatis illius virorum doctorum facile princeps evaserit. Quantum in antiquis Arabum carminibus versatus fuerit, cum doctissimae eius in Hamasam

---

[1]) بُقْيًا eandem omnes codices vocis scripturam exhibent, quae, si formam spectas ad coniugationem primam est referenda, ex sensu autem ad quartam pertinet; his enim verbis in cod. Paris. explicatur يكنى عنه ابقاء على القبيح أن يصرح به.

annotationes testantur, quae a Tebrizio eius discipulo memoriae traditae sunt, tum maxime ipsius carmina, quippe quae non modo res Arabum veteres saepissime spectent, sed etiam vocibus poeticis scateant, quibus, quum aetate illa usu vulgari omnino excidissent, diserte et proprie uti nemo poterat, nisi qui prisca illa poesi penitus esset imbutus.

Recentiores etiam poetas diligenter tractavit, in quorum tres praecipue incubuit, Abu-Temamum, Bohtorium, qui saeculo antecedenti floruerant, et Motenabbium, qni novem tantum annis prius obierat, quam Abul-Ala natus est Uniuscuiusque horum carmina praestantiora selegit, atque commentariis criticis illustravit. Motenabbium autem omnium potissimum singulari amore atque admiratione Abul-Alam prosecutum esse, multa sunt indicia. Nam quum, alios poetas laudans, suo quemque nomine appellaret, unum Motenabbium p o e t a m simpliciter, tanquam *κατ' ἐξοχὴν* vocare solebat. In eiusdem carminibus, dicebat Abul-Ala non posse quemquam ulli verbo aliud substituere quod aptius esset; quod quidem, quum ipse multis modis frustra tentasset, compertum se habere omnino fieri non posse [1]. Alias tamen Bohtorio palmam poeseos videtur concessisse; nam roganti cuidam, quis trium Abu-Temami, Motenabbii, et Bohtorii optimus esset poeta, respondisse fertur: duo illi philosophi fuerunt, Bohtorius poeta [2].

---

[1]) Haec tradita sunt a Wahidio Motenabbii commentatore; vide Bohlen Dissert. de Moten. p. 40.

[2]) حكيمان والشاعر البحترى (vid. Ibn-Khal. ed. Wustenf. IX, 142) Quibus Abul-Alae verbis, haec Scherifi Radhii

Illum autem Abul-Alae in Motenabbium amorem, non defuere, qui utpote aequo maiorem crimini ei verterent atque eum in causa fuisse contenderent, quod ipse in alios saepe poetas iniquum se praebuerit iudicem. Haec est certe Ibn-Khallicani sententia, qui narrat Ibn-Hani, poetae Hispanensi, qui, quum Motenabbio tempore quidem aequalis fuisset, poetico autem ingenio non impar, Motenabbius Orientis a multis vocaretur, hanc gloriam Abul-Alam noluisse concedere, et Montenabbii magis, quam aequi verique studiosum, vitium in eius versibus deprehendere sibi visum esse, scilicet duritiem quamdam, quam cum stridore molae comparare solitus sit. Verum tamen in universum concedendum est, magna eum in rebus poeticis diiudicandis aequitate, nec minori acumine usum fuisse. Cuius acuminis haec Taki-Eddini narratiuncula satis lepidum praebet documentum[1]: Narratur, inquit, Menazius poeta, quum Abul-Alam in Syria degentem adiisset, et inter discipulos disserentem invenisset, breve quoddam carmen suum ei recitasse, quod Abul-Ala summopere miratus, tu, inquit, optimus es poetarum Syriorum. Aliquo intermisso temporis spatio, dum Abul-Ala Bagdadi, discipulis instruendis in templo quodam, ut mos erat, operam dat, idem Menazius iterum cum eo convenit, et quum carmen aliud recitasset, Abul Ala »et Irakensium« inquit, priorem sententiam quodammodo concludens. Magnum profecto indicium, quanta fuerit et vi memoriae et iudicii sagacitate, qui poetam, quem, neque antea nove-

---

de iisdem poetis sententia non nihil lucis infert: اما أبو تمام فخطيب منبر واما البحترى فواصف جوذر واما المتنبى فقائد عسكر.

[1]) Vid. Ibn-Khallican. ed. Wustenf. additam. I, 14.

rit, neque videre potuerit, pluribus annis praeterlapsis, ex sola paucorum versuum cognatione recognoverit.

Verum haec ad maturam iam Abul-Alae aetatem pertinent. Prius videndum est nobis, quae fuerint poetici eius ingenii et prima principia et progressus ulteriores. Non enim is erat, qui aliena legere atque tractare contentus esset, quin ipse in carminibus scribendis vires suas tentaret. Quin etiam adeo natura fuit ad poesin propensus, ut, undecim vix annos natus, versus inceperit condere; quod quidem magnopere mirandum videtur, nobis tamen fortasse magis quam ipsis Arabibus, apud quos, quum calidiore coelo tam animi quam corpora citius soleant maturescere, talia non raro usu veniunt. Ut unum ex multis exemplum proferam, fertur poeta celeberrimus, de quo supra dixi, Sherif Er-Radhi in decimo aetatis anno prima carmina effudisse.

Prima tamen illa tentamina, Abul-Ala prudens ac modestus in Diwanum suum noluit assumere. Nam, quae verbis قال في صباه inducuntur carmina, ea, ut paulo infra ostendam, non puer, sed adolescens composuit. Quorum, quum aliqua res illis temporibus bello gestas spectent, a proposito non erit alienum, si, quis fuerit tunc in Syria rerum status, paucis verbis adumbravero. Quum autem, quae per id tempus gesta sunt, scriptores Europaei omnino fere ignorent, Arabici autem, ei certe qui adhuc publici iuris facti sunt, magna rerum inopia laborantes, parum illustrent, nullam ipse certam viam potuissem invenire, nisi in tantis tenebris lucem quamdam nactus essem. Namque Freytagius, praeceptor meus clarissimus, Chronici Halebensis a Kemal-Eddino conscripti, quod ipse Parisiis diligentissime descripserat, summa,

qua uti solet, benignitate, copiam mihi fecit. Inde igitur aliqua, quae ad rem faciunt, excerpta tradam.

Aleppum tunc temporis Hamdanidae adhuc obtinebant. Nam, postquam Saif-Eddaula illustris ille princeps, qui, tum rebus in bellis contra Graecos praeclare gestis, tum Motenabbii maxime laudibus aeternam adeptus est famam, anno 356 obiit, Sad-Eddaula eius filius ad regnum pervenit, fortis quidem ille atque virtute militari patre non indignus, sed adversa primum tumultuosis illis temporibus fortuna usus. Nam praetorianis militibus (si modo غلمان sic vertere licuerit) insolescentibus in dies, et Karghuia eorum duce summum imperium affectante, regno, biennio postquam occupavit, excussus est. Quinto autem anno post, Halebo rursus potitus, fines suos a Graecorum incursionibus fortiter tuitus est. Hunc, anno 381 mortuum, Said-Eddaula filius excepit, quo regnante imperium Hamdanidarum in ruinam coepit vergere. Nam, quum iuvenis admodum esset et prorsus imbellis, nomine tantum regnavit; re autem, Abu-Mohammed Lulu-El-Kebir, praefectus militum, Saif-Eddaulae quondam satelles, summam potestatem tenuit. Qui, quum acri esset animo atque imperii avidissimus, regem imbecillum facile ad arbitrium suum rexit, eique, tanquam in obsequii vinculum, filiam suam in matrimonium dedit.

Hunc ipsum Said-Eddaulam, qualiscunque tandem fuerit, compluribus Abul-Ala carminibus laudavit; quorum quidem praestantissima duo Golius[1]) et Sylv. de Sacy in Chresthomathia sua iam vulgaverunt. Eiusdem cum

---

[1]) Vid. Thom. Erpenii Grammaticam a Golio ed. Lugd. Bat. 1656.

Lului imperatoris filia nuptias eo epithalamio videtur Abul-Ala celebrasse, quod quartum in Diwano locum obtinet. Hoc carmen, quum breve sit, specimen generis gratulatorii, suo loco reddemus. Poemata illa qua aetate Abul-Ala composuerit, certo licet statuere non possim, magna tamen probabilitate adducor, ut ante vicesimum aetatis annum ab eo scripta esse existimem. Halebi enim, quo discendi causa eum contendisse, supra vidimus, sub principia regni Said-Eddaulae videtur esse commoratus, nec tamen biennio diutius, vel tribus ut plurimum annis. Nam, anno 384 Maarram eum iam reversum fuisse et Halebum deinde Graecis infestum quam maxime vitasse, dum incepta pergimus enarrare, iamiam videbimus.

Quum igitur imperium Halebense interna iam debilitate laboraret, externum etiam accessit brevi periculum. Nam Aziz, Khalifa Fatemita, qui tunc temporis Aegypto et Libyae et maiori Syriae parti imperabat, reliquam etiam Syriam regno suo addendi cupidus, Jandjutekinum Turcam, quem Damasco praeposuerat, Halebum armis petere iussit. Qui quum Burtzam patricium, Antiochiae praefectum, Halebo opitulantem, in fugam coniecisset, Halebum autem per complures menses obsidione cinctum expugnare non potuisset, Khalifa, postero anno, Abul-Hasanum Magrebensem[1]), Sad-Eddaulae quondam vezi-

---

1) ابو الحسن علی بن الحسین المغربی الکاتب anno 371 a Sad-Eddaula vezirus creatus est, postea, simultate quadam inter eos exorta, ad Aziz Khalifam confugit, atque benigne ab illo exceptus, muneribus variis in Aegypto usque functus est, donec ab Hakemo Khalifa anno

rum, ideoque agri Halebensis peritissimum, cum magnis copiis Damascum misit, qui bellum continuaret atque eam Syriae partem, si expugnata fuerit, provinciam obiret. Ille igitur una cum Jandjutekino Damasco profectus, exercitum Halebum versus educit; quo audito, Halebenses illico obviam prodeunt et una cum Graecis Antiochenis in auxilium a se vocatis, ad vadum quoddam prope Maarram castra ponunt. Aegyptii autem, quum interea in altera fluvii ripa consedissent, morae impatientes fluvium traiiciunt atque Halebenses alii profligant, alii Graecos in fugam conversos insequuntur.

Haec gesta sunt anno **384**; unde comperimus carmina duo, quibus haec eadem victoria occasio fuit, quorum autem altero Jandjutekinus, altero Abul-Hasan celebratus est, Abul-Alam annos circiter unum et viginti natum composuisse. Ex his carminibus, quum paucissima apud Abul-Alam ut ea, in argumentis historicis versentur, specimina quaedam proferre non nihil proderit, unde possit colligi, quam arcte Motenabbii ea aetate vestigiis institerit. Ab eo initium faciam, quo Abul-Hasanum victorem Abul-Ala salutavit: Metr. Tawil.

وكيف لِقاء ابن الحُسين مُخالِفٌ يُحدِّث عن أفعاله فيُهالُ

بنى الغدر هل ألْفيتم الحرب مرّةً وهل كفّ طعنٌ منكمُ ونِصالُ

وهل اظلمَتْ سُحمُ الليالى عليكمُ وما حان من شمس النهار زوالُ

وهل طلعَتْ شُعثَ النواصى عوابسًا رِعالٌ تَرامَى خَلفهُنّ رعالُ

---

400 perfide est interemptus. Vid. Ibn-Khal. p. 229 et Abulfedae Hist. III, 50.

لها عدد الرمل المبرّ على الحصى   ولكنها عند النزال جبال

فان تسلموا من سورة الحرب مرّة   ويعصمكم شمّ الانوف طوال

ففى كل يوم غارة مشمعلّة   وفى كل عام غزوة ونزال

خذوا الآن ما ياتيكم بعد هذه   ولا تحسبوا ذا العام فهو مثال

ألا ربّ أعداء غزاهم فأذعنوا   فعاد وهم فيما لديه عيال

وفى الخيل عن ماء المخاضة عفّة   وهن الى ماء النفوس نهال

وقد فلّ من فرسانهن صوارم   وحطّم فى لبّاتهن الال

يردن دماء الروم وهى غريضة   ويتركن ورد الماء وهو زلال

تجاوزه بالوثب كلّ طمرّة   تمازج فى فيها دم وزوال

تدانت به الأقران حتى تجاثأت   كانّ قتال الفيلقين جدال

وقد علم الرومىّ انّك حتفه   على انّ بعض الموقنين يخال

فما كبروا حتى يكونوا فريسة   ولا بلغوا أن يقصدوا فينالوا

فانّ ابا الأشبال يخشاه مثله   ويامن منه آرض ونمال

»Quomodo prodeat contra Hoseini filium adversarius, qui sola factorum eius commemoratione perterretur?

»Filii perfidiae, num amarum vobis bellum visum est? Num hastae aut sagittae vos defenderunt?

»Nonne offudit vobis noctium aterrima [1]) tenebras, antequam tempus esset, ut sol ad occasum vergeret?

---

[1]) Sc. caligo ex pulvere coorta, quem ducis illius turmae excitaverunt.

»Nonne apparuerunt vobis equorum turmae, disperso crine, adspectu atroci, quas turmae aliae confertim insequebantur,

»Numerosae velut arena, quae computationem fugit, in praelio autem stabiles montium instar.

»Si semel ex impetu belli salvi evaseritis et viri nobiles fortesque [1]) vos defenderint,

»Quotidie tamen erit incursus late diffusus, quotannis expeditio atque concursus.

»Sumite nunc quod posthac in vos incidet, neque hunc annum annumerate; non est nisi specimen.

»Nonne saepe factum est, ut hostes, quos armis ille petierat, se eius imperio submitterent et revertentem servorum more sequerentur?

»Makhadhae [2]) aquam equi aspernati sunt, animarum aquam (sanguinem) sitientes,

»Fissis iam equitum gladiis et spiculis in pectoribus ipsorum fractis.

»Recentem Graecorum sanguinem bibendum adibant, aqua, quamvis dulcis esset, relicta.

»Eam transibat saltu unusquisque equus generosus, cuius in ore saliva sanguine mixta erat.

»Pugnatores appropinquaverunt invicem ad eam (aquam)

---

1) أشم الانف quod est proprie, *naso longo atque prominenti praeditus* المخاض et طويل *procerus* dicuntur etiam latiori significatione de quovis viro forti et generoso; vid. Hamas. p. 728.

2) المخاضة seu مخاضر, quod vadum significat, Tebrizius vult fluvii illius nomen esse proprium.

adeo ut genubus iunctis accumberent (disceptantium more), ac si pugna exercituum disputatio esset.

»Noverat Graecus te perniciem suam esse, sed nonnunquam fit, ut, qui aliquid compertum habeat, is tamen vanam sibi spem mentiatur.

»Non tanti fuerunt, ut praeda tibi essent, neque digni, quos insequereris et opprimeres.

»Leonem sui pares timent, vermiculi et formicae ab eo securi sunt.«

Etenim Abul - Hasan hostes fusos non erat insectatus. Jandjutekinus autem, vicisse non contentus, nisi Graecos undique expelleret, tam acriter fugientes persecutus est, ut, omissa Antiochia, usque ad ultimos Syriae fines eos propelleret. Halebum inde contendit atque operibus cinctum tam arcte pressit, ut Said-Eddaula, molestiarum obsidionis pertaesus, ad eius conditiones iam descendere vellet, atque fecisset, nisi Lulu, firmiore animo praeditus, novam desperanti ex Graecorum auxilio fiduciam addidisset. Dum haec gerebantur, videtur Abul-Ala carmen alterum, de quo dicebam, in Jandjutekini laudem composuisse, quod sic exorditur: Metr. Tawil.

لقد آن ان يَثْنِى الجموحَ لِجامُ وان يَمْلكَ الصعبَ الابىَّ زِمامُ

ايُوعدنا بالروم ناسٌ وانما هُمُ النَّبتُ والبِيضُ الرِقاق سَوامُ

كأنْ لم يكن بين المخاض وحارمٍ كتايبُ يُشْجِين الفلا وخِيامُ

ولم يَجْلُبوها من وراء مَلَطْيَةَ تَصدَّعُ أَجْبالٌ بها وآكامُ

كتايبُ من شرق وغرب تألّبتْ فُرادَى اتاها الموتُ وهى تُؤامُ

غرايبُ دُرٍّ جُمِّعَتْ ثم ضُيّعت وقدْ ضمّ بسلكٍ شَمْلَها ونِظامُ

ببومٍ كانّ الشمس فيه خريدةٌ عليها من النَّقْع الاحمّ لِثامُ

وظنوك ممن يطفى البرد ناره   اذا طلعت عند الغروب جهام

وأنك تثنيها قبانة جلّق   متى لاح برق واستقل غمام

وقالوا شهور ينقضين بغزوة   ولا علموا ان القفول حرام

لقد حكموا حكم الجهول لنفسه   رويدهم حتى يطول مقام

وحتى يزول الحول عنهم ومثله   ويذهب عام بعد ذلك وعام

»Tempus est, ut contumacem fraenum flectat et ferocem ac refractarium compescant habenae.

»Num minabuntur nobis quidam Graecos, quum ii gramen sint, quod tenues nostri gladii depascunt?

Quasi Makhadham inter et Haremum tentoria non fuissent et cohortes, quae campos amplos (multitudine) suffocabant,

»Neque ultra Malatiam egissent eas (cohortes seu equitatum Graeci fugientes), montibus collibusque ad eas hauriendas hiscentibus [1]).

»Quae ex Oriente et Occidente singulatim convenerant legiones, coniunctas mors obruit,

»Margaritis pretiosis similes, consertis primum et filo cohaerentibus, deinde dissipatis,

---

[1]) Sc. graecosne timeamus, quorum exercitus per ampla terrae spatia distenti, a viro illo dissipati sunt atque omnino evanuerunt perinde ac si montibus suis hausti fuissent? Dicitur تصدعت الارض بفلان, si quis fuga e conspectu tollitur, ut ne vestigium quidem eius remaneat; vid. Hamas. p. 418. — Malatiam (Graeci vocant Melitenem) Armeniae urbem, non procul ab Euphrate fluvio, medios inter montes positam, paulo post Hedjram ab Arabibus expugnatam, Graeci post annum 300 denuo occupaverunt.

»Die illo, quo sol, atro pulvere obscuratus, virginem velatam referebat.«

Et paucis versibus interpositis.

»Opinabantur te ex iis esse, quorum ardorem bellicum frigus restinguit, quum, occidente sole, nebulae exoriuntur [1]),

»Et Damascum versus equos te conversurum, quotiescunque fulgus micaret aut consurgeret nubes.

»Dicebant: menses aliquot in expeditione decurrent, neque noverant recedere tibi nefas esse.

»Iudicabant ut ignorantes sui; exspectent modo donec producatur obsidio,

»Donec annus praetereat et alter, tum annus iterum decurrat et annus novus.«

Neque tamen illae Halebensium minae tam inanes evaserunt, quam Abul-Ala erat opinatus. Nam quum Said-Eddaula, suadente Luluo, Constantinopolin legatum misisset, qui Basilium imperatorem in auxilium vocaret, is, hac belli, cuius amantissimus erat, occasione lubenter arrepta, cum magnis copiis Halebum proficiscitur. Hostes tamen ne vidit quidem, nam tantus, eo accedente, Aegyptios terror invasit, ut omissa subito Halebi obsidione, Kinnesrinum se fuga reciperent. Said-Eddaulae autem, quam tantopere desideraverat, pace non in longum tempus frui licuit. Nam aliquot post annis, a Luluo, ut quidam contendunt, veneno accepto, mortem obiit. Is autem mortis illius, nisi auctor fuit, utilitatem tamen solus percepit; nam Said-Eddaulae filiis aetate minoribus in Aegyptum missis, summum Halebi imperium solus obtinuit. Interea Basilius, Halebum liberasse non contentus, nisi suae utilitati consuleret, Scheizarum oppidum munitissimum anno

---

1) Invadentis hiemis hoc est indicium.

389 expugnavit, atque per complures inde annos Syriam armis infestavit. De qua re Abul-Alam non semel conquerentem videmus, ut quum pericula viae describit:

Metr. Wafer.

متى نُصبِحْ وقد فُتْنا الاعادى نُقِمْ حتى تقول الشمس رُوحا

»Quoties hostes (nocturno itinere) fugeramus, mane subsistebamus, donec sol (occidens) nos iuberet proficisci.«

Nam ex eis, quae sequuntur, Graecos manifestum est innui.

Atque aliquot annis post: Metr. Basit.

والرومُ ساكنةٌ للاطراف جاعلةٌ سهامَها لوُقود الحرب كِبْرِيتا

»Graeci confinia tenent, fomitem belli sagittis suis quasi sulfure accendentes.«

Iam autem tempus est, ut consistamus aliquantum, atque pro Abul-Alae fama studeamus propugnare, si quis, his lectis, parum honorificam de eo opinionem conceperit, et inconstantem eum iudicaverit ac versipellem, qui nimirum ignavum regem primum summis atque omnino insanis laudibus extulerit, tum autem, tantum quod ab eo discesserit, eius hostes illico non minus, maiori licet cum iure, celebraverit. Quam quidem criminationem omnino repellere neque possum, neque, si possim, velim. Habet enim aliquid veri; verum admittit tamen quamdam, non dico purgationem, sed excusationem, eamque ita comparatam, ut ex altera parte summo honori, ut in illis temporibus, Abul-Alae vertatur. Nam quum caeteri poetae, qui tunc florebant, paene omnes, avaritia laborantes insatiabili, artem egregiam atque ingenii dotes ad humilem donorum captationem et ornatiorem tantum quodammodo mendicationem plerumque demitterent, solus Abul-Ala, universa tabe intactus atque modico patrimonio contentus,

principum largitiones carminibus nunquam elicere studuit et poesin, nullo alio nisi ipsius poeseos amore ductus, coluit. Quum autem illa eius poesis, nam in hanc partem eum peccasse facile concedam, artificiosa quadam ingenii exercitatione magis quam vera animi sententia ornate dicenda constiterit, quicunque sibi quoquo tempore in proximo fuerit, eum sibi hominem videtur cantandum proposuisse, parum curans, laude dignus esset necne, nam laude dignum, immo omnibus numeris absolutum atque ultra, quam humana fert natura, perfectum, mera cogitatione eum sibi effingebat. Sed ipsum malo loquentem inducere; nam haec sunt eius verba in praefatione Diwani:

ولم اطرق مسامع الروساء بالنشيد ولامدحت طالبا للثواب وانما كان
ذلك على معنى الرياضة وامتناح السوس فالحمد لله الذى ستر بغُفّة
من قوام العيش ورزق شُعبة من القناعة اوفت على جزيل الوفر

»Principum aures carminibus recitandis nunquam verberavi, neque mercedis cupidine quemquam laudavi; sed haec feci exercitationis tantummodo causa atque ingenii tentandi. Laus sit Deo, qui tantum nobis largitus est, quantum ad vitam sustentandam est opus, atque animum paucis contentum [1]) nobis impertitus est, maxima opulentia potiorem«. Atque, quum Bagdadi magna inopia premeretur et suasissent amici, ut regem quemdam peteret, a quo laudibus opulentiam sibi pararet, respondit: Metr. Basit.

رحلتُ لم آتِ قِرْواشًا أُزاوِلُه ولا المهذّب اَبْغى النيل تقويتا
والموتُ احسنُ بالنفس التى الِفَتْ عِزّ القناعة من ان تَسْأَلَ القوتا

---

[1]) Ad verb. portionem frugalitatis; in codice (605) legitur سعة i. e. copia frugalitatis, quae scriptura per corruptelam videtur ex priore orta esse.

»Profectus sum, neque Kirwaschum aut Mohazzibum adii dona victumque ab eis quaesiturus;

»Mors potior est, si quis dignitati animi paucis contenti assueverit, quam victum mendicari.«

Caeterum viros imperio pollentes Abul-Ala paucos, regem quidem, quantum video, praeter Said-Eddaulam, neminem, laudavit. Privatos autem amicos, eosque maximam partem poetas, multis carminibus illustravit. Inter utrumque genus quodammodo medios viros duo, illis temporibus celeberrimos, quum ab Ibn-Khallicano non sint memorati, fortasse non inutile erit, paucis hic attingere. Quorum alterum, Abu-Ibrahim Mohammedem Scherifum, virum nobilissimum, magnas in bellis in Syria gestis partes egisse, compluria, quae noster ei scripsit, carmina testantur. (Carm. 5, 13, 25, 42.) Eum inter et Abul-Alam singularis intercessit necessitudo, atque epistolarum poeticarum frequens commercium, ex quo intelligi potest, literis eum non minus quam armis valuisse. Quamquam eae, quas poetae Abul-Ala interdum tribuit, immodicae videntur esse laudes, quasque modeste neque Abul-Ala dicere, neque Sherifus ille audire potuerit. Nam Amrulcaiso, poetarum principi, eum anteponere non erubuit:

Metr. Khafif.

قد اجَبْنا قول الشريف بقول وأَثَبْنا الحصى عن المَرْجان

ايّها الدُرُّ انّما قِضْتَ من بحر مُخَلّى الطريق للجَرَيان

ما آمرؤُ القيس بالمُصَلّي اذا جاراه في النظم بل سُكَيت الرِهان

»Carmini Sherifi carmine respondimus et margaritas lapillis repensavimus, (sc. eximios eius versus nostris malis).

»O margaritae profluxistis e mari, quod latam effluentibus viam aperit.

»(Poetam dico), quocum si Amrulcais in poeseos curriculo certat, ne secundus quidem, sed extremus est in certamine.«

Alter de quo dicebam, ابو القسم على بن الحسن بن جَلَبات vir magnae auctoritatis, qui ab Adhod-Eddaula Buida, Irakae Persidisque rege, Bagdado quondam praefectus, atque nimiae profusionis causa ab illius successore remotus fuerat, Halebum deinde, a Said-Eddaula accitus, se contulit atque summis ornatus est muneribus. Huic, quum Syriam modo ingressus Abul-Alam tunc adolescentem, magna iam gloria florentem, carmine quodam salutasset, ea noster Casida respondit, quae a J. Aug. Vullers vulgata est, qua summam viri liberalitatem atque egregia etiam poemata infinitis laudibus celebrat. Eundem carmine altero, quod, etsi posteriorem in Diwano locum obtinet, haud scio an tempore sit prius, de munere ademto Abul-Ala consolari studuit. Cuius partem praecipuam hic adscribo. Metr. Wafer.

أيَدفع مُعْجزات الرُسل قومٌ وفيك وفى بديهتك اعتبارُ

وشعرك لو مدحت به الثُرَيّا لصار لها على الشمس افتخارُ

كانّ بيوتَه الشُهبُ السوارى فكل قصيدة فَلَكٌ مُدارُ

أخيمٌ جار عن طُرق الاوالى فحار وآخِرُ الشهر السِرارُ

ولن يُحْوَى الثناء بغير جُود وهل يُجْنَى من اليَبَس الثِمارُ

ولم تَلْفِظْك حَضْرتُه لزُهدٍ ولكن ضاقَ عن أسَدٍ وَجارُ

وانت السيف إن تَعْدَمْ حُليًّا فلم يُعدَمْ فِرَنْدُك والغِرارُ

وليس يَزِيد فى جَرْى المَذاكى ركابٌ فوقَه ذهبٌ مُمارُ

وربّ مطوّق بالتبر يكبو بفارسه وللرهج اعتكار

وزند عاطل يحظى بمدح وبحرمه الذى فيه سوار

»Num reiiciet quisquam miracula prophetarum, quum in te et in eis, quae ex tempore fundis, carminibus exemplum sit?

»Si poesi tua Pleiades laudares, supra solem superbae se efferrent.

»Singulos eius versus planetas esse putares, et unumquodque carmen rotantem coeli orbem.

»Postremus declinavit a via priorum et defecit [1], sic nox mensis extrema maxime caliginosa est.

»Laudem absque liberalitate assequi nemo potest; num ab arbore arida fructus carpentur [2]?

»Si illius aula te extrusit, non ideo factum est, quod te parvi pendiderit, sed hyaenae fovea angustior est quam ut leonem capiat.

»Tu ensis es, quem, ornamentis licet destitutum, fulgor et acies non deficiunt [3].

»Equi cursum, stapia auro perfusa non accelerat.

»Equus auro torquatus cum equite interdum procumbit, quum pulvis (certantium frequentia) condensatur.

---

[1] Samsam-Eddaulam innuere videtur, Adhod-Eddaulae filium et successorem, qui, patris dissimilis, vezirum illum et munere et, qua apud patrem floruerat, gratia orbavit.

[2] Liberalitatis nomine profusionem ornare atque excusare studet, cuius causa ille munere remotus fuerat.

[3] Sc. virtus tua, etsi regis gratia et honorum dignitate destituta sit, nihilominus tamen ipsa per se elucet. Idem fere sequentia variis imaginibus illustrant.

»Et brachium ornamentis carens laudem saepe nanciscitur, quam aliud armilla ornatum adipisci non potest.«

His exemplis satis probatum est, quanta Abul-Ala hominum nobilium existimatione ornatus sit. Nec vero minori eruditionis fama inclaruit, qua factum est, ut iuvenis adhuc innumeris undique discipulis peteretur. His tamen parum contentus novos doctrinae fontes adire constituit, atque quum Bagdadum, illis adhuc temporibus, et morum elegantia et optimarum artium studiis, Orientis velut Athenae floreret, eam urbem, virorum in omni genere summorum, poetarum maxime, concursu celebrem, petere decrevit. Quod tamen consilium secus evenit ac speraverat. Nam, quum anno 398, annos natus circiter 35, Bagdadum venisset, tanto patriae et amicorum desiderio, tanto ex solitudine et inopia, qua illic laboravit, taedio affectus est, ut diutius in terra aliena remanere non potuerit. Hunc suum animum omnia spirant, quae tunc scripsit, carmina; ex quibus hos versus tradam:

Metr. Tawil.

فيا برقُ ليس الكَرْخُ دارى وانّما   رَمانى اليه الدهر منذ ليالِ

فهل فيك من ماء المعرّة قَطْرةٌ   تُغيثُ بها ظَمْآنَ ليس بِسالِ

ندمتُ على أرض العواصم بعد ما   غدوتُ بها فى السوم غيرَ مُغالِ

»O fulmen, Bagdad non est domicilium meum, ante paucos dies huc me fortuna iecit.

»Num in te gutta est de aqua Maarrae, qua sitSurientem, curis haud liberum reficias?

»Me poenitet Awasem[1]) terrae (relictae), postquam ei pretium statui exiguum.«

1) Awasem est Syriae tractus septentrionalis.

Atque in alio carmine, metro eodem:

تمنّيتُ أن الخمر حلّت لنشوةٍ تُجهّلني كيف اطمأنّت بيَ الحالُ

فأذهلَ انّي بالعراق على شفًا رذيّ الاماني لا انيسٌ ولا مالُ

مُقِلٌّ من الاهلين يُسرٍ وأُسرةٍ كفى حَزَنًا بينٌ مُشِتٌّ واقلالُ

طَوَيتُ الصبى طَيَّ السجلّ وزارني زمانٌ له بالشيب حُكمٌ واسجالُ

متى سألتْ بغدادُ عنّي واهلُها فانّي عن اهل العواصم سآلُ

اذا جَنّ ليلي جُنّ لُبّي وزائدٌ خُفوقُ فؤادي كلّما خفق الآلُ

»Vellem, vinum licitum esset, ut ebrietas nescium me redderet, quam humilis facta sit conditio mea.

»Et obliviscerer me in Iraka extremos spiritus agere, spe fractum[1]), amicis opibusque destitutum.

»Utroque familiae genere indigentem, opulentia scilicet et affinibus; satis est miseriae separatio, amicorum dissipatrix, et egestas.

»Adolescentiam complicui velut libellum, et tempus me invasit, penes quod de canitie iudicium est et sententia ferenda.

»Quum Bagdadum eiusque incolae de me rogant, ego de Awasemae incolis indesinenter rogo.

»Ingruente nocte insanit animus meus, et tremente vapore meridiano, augetur cordis mei palpitatio.«

Maarram igitur, paucis mensibus post quam discesserat, reversus, prius tamen consilium non abiecit; nam, postero anno, iterum profectus, diutius Bagdadi commoratus

---

1) رذى proprie dicitur de camelo tanta lassitudine confecto ut longius progredi non possit.

est, et cum multis, quibuscum ibi convenit, viris egregiis amicitiae vinculo se coniunxit. Quales fuerunt imprimis fratres duo Radhi et Mortadha [1], Sherifi, viri magnae auctoritatis, iidemque poetae eximii, atque contribulus quidam Abul-Alae, Abul-Casem Kadhi Tenuchita [2], qui, etsi duobus tantum annis Abul-Ala esset inferior, discipulum tamen eius se profitebatur et praeceptorem summa reverentia atque amore singulari semper est prosecutus.

Maxima autem Abul-Alae necessitudo intercessit cum Abu-Ahmed Basrensi ابو احمد عبد السلام بن الحسين البصرى viro doctissimo, bibliothecae Bagdadensi praeposito, quicum noster, dum Bagdadi versabatur, quoque die Veneris, literatos sermones invicem communicandi causa, convenire solebat. Huic, Maarram reversus, iucundae consuetudinis memor, hos versus scribebat: Metr. Tawil.

ابا احمد أَسْلَمْ إِنَّ من كَرَم الفتى إِخاءَ التنائِى لا إِخاءَ التَجَمُّعِ
تُهَيِّجُ أَشواقى عُروبَةُ إِنّها اليك زَوَتْنى عن حُضورٍ بمَجْمَعِ
أَلا تَسْمَعُ التسليمَ حينَ أَكُرُّه وقد خاب ظَنّى لستَ منّى بمَسْمَعِ
وهل يُوجِسُ الكرخىُّ والدارُ غَرْبةٌ من الشام حِسَّ الراعد المترجِّعِ

»Abu-Ahmed, salve. Absentibus, non praesentibus, amorem servare est viri generosi.

»Dies Veneris excitat desideria mea et ab omni coetu ad te me impellit.

»Nonne audis salutationem meam, iterum et saepius

---

[1]) Vid. Ibn-Khal. p. 742 et p. 465 atque Abulf. Hist. II, p. 615 et III, p. 25.

[2]) Vid. Ibn-Khal. p. 624.

repetitam? At vana est spes mea; non es, ubi me audire possis.

»Num audit Bagdadensis, (adeo remota est sedes), e Syria sonum tonitrus reciprocati? (Scil. si ne tonitru quidem audit, quomodo salutem meam possit audire?)«

Abul-Alam, quemadmodum prius in Syria, ita Bagdadi discipulis in literis instituendis operam navasse, supra vidimus. Sed ipse etiam, disciplinas novas percipiendi cupidus, celeberrimorum doctorum scholis interfuit. Philosophiae eum studuisse, etsi certis testimoniis non sit confirmatum, tamen ex indiciis quibusdam probabile fit, quae infra videbimus. In iuris etiam scientiam eum accubuisse, inde licet intelligere, quod Abdelwahhabi[1]), iurisperiti Malekiani, discipulus fuisse traditur; quem quanta admiratione prosecutus sit, ex his versibus patet, quos postea, quum ille Maarrae se visisset, ad Abul-Casem Tenuchitam scribebat: Metr. Basit.

والمالكىّ بنُ نصرٍ زارَ فى سَفَرٍ بلادنا فحَمَدْنا النأىَ والسَفَرا

اذا تفقّه أحيا مالكًا جَدَلاً وينْشرُ المَلِكَ الضليل ان شَعَرا

„Nasri filius, Malekianus, visit in itinere terras nostras et laudavimus migrationem et itinera. Si de iure disserit, arte disputandi Malekum ad vitam revocat; si carmina condit, Malek-Eddhalilum (sc. Amrulcaisum) resuscitat.“

Ad hanc quoque eius vitae partem narratiuncula quaedam, ab Ibn-Khallicano tradita, pertinet, quae indicio est, quanta usus sit Abul-Ala versuum ex tempore condendorum facultate. Nam Bagdadum modo advecto, iurisconsultus quidam, dum eius acumen probare vult, ut inter viros doctos mos illis temporibus obtinebat, epistolam misit, qua ae-

1) Ibn-Khal. p. 423 القاضى ابو محمد عبد الوهاب بن على.

nigma versibus inclusum continebatur. Qua epistola perlecta, illico responsum Abul-Ala, eodem metro, eodem versuum exitu usus, tabellario dictavit. Atque hac eadem lege, quotiescunque aliorum poetarum carminibus respondit, semper se adstrinxit. Ad eiusmodi ludos, Arabibus tum maxime usitatos, is etiam referendus est, quem اجازة vocabant, qui quidem fiebat, quum poeta, unius versus sibi propositi, tam argumentum quam metrum et homoioteleuton carmine longiori continuabat. Huius etiam exemplum unum Abul-Alae Diwanum exhibet.

Tot et tam iucundis, quibus Bagdadi detinebatur, amicitiae vinculis, mature Abul-Ala infesto casu ereptus est. Nam, postquam per annum et septem menses ibi commoratus erat, nuntius ei est allatus, matrem, quam summo amore complectebatur, graviter aegrotare. Quo nuntio accepto, Maarram statim profectus atque maxima in itinere festinatione usus, serius tamen advenit, nam matrem non nisi exanimem invenit. Huius mortem Abul-Ala diu atque gravissime luxit, neque uno tantum carmine, quo defunctam deflevit, verum altero etiam, quod aliquanto post composuit, vitam sibi, quum matre sit orbatus, ait fastidio esse, atque ante eam se mori maluisse, ut in his:

Metr. Wafer.

وَامَّتْنِى الى الْأَحداث أُمٌّ يَعِزُّ علىَّ أَن سارت أَمامِى

مَضَتْ وقد اكتهلتُ فخِلْتُ انّى رضيعٌ ما بلغتُ مَدَى الفِطامِ

»Praevertit me ad sepulcra mater, quam ante me discessisse, graviter doleo;

»Qua mortua, etsi canescere iam coeperam, infans mihi visus sum a mamma nondum remotus. (Adeo matre sensi me carere non posse).«

Hacne forte ex matris morte moestitia, nescio factum sit, an ipsa potius animi natura ad seria propensiori, ut Abul-Ala, ex quo in Syriam rediit, tristi cuidam et austero vitae generi se addixerit. Nam omni hominum conversatione, si discipulos excipias, quibus se noluit substrahere, quantum potuit, abstinuit, atque domi continuo remansit; quam ab causam ipse sibi رهين المحبسين, seu pignus captivorum cognomen indidit. Neque otio tamen, sed diverso tantum occupationis generi se tradidit; nam, dimissis eis, quibus antea solis incumbere solebat, levioribus literarum studiis ac poetarum tractatione, meditationi atque philosophicis de vanitate rerum mundanarum commentationibus totum se addixit. Ex quibus, quum poeta tamen esse non desierit, poetica etiam opera, sed ab eis, quae iuvenis scripserat, omnino diversa, orta sunt; qualis est liber لزوم ما لا يلزم inscriptus, atque tractatus nonnulli prosa oratione conscripti. Instantibus tamen amicorum precibus denegare non potuit, quin priora illa carmina, in Diwanum collecta, emitteret. Quamquam, invito ac reluctanti animo id eum fecisse et poemata illa ut vana atque inania parvi pendisse, haec ipsius in praefatione ad diwanum verba satis testantur:

وقد كنتُ فى رُبّان الحداثة وجِنّ النشاط مايلا فى صغو القريض

أعتدّه بعض مآثر الاديب ومن اشرف مراتب البليغ ثم رفضته

رفض السِقْب غِرسَه والرال تَريكته رغبةً عن ادب معظمُ جيّده

كَذِب ورديّه ينقُص ويُجدِب ..... وما وُجد لى من غُلوّ عُلّق

فى الظاهر بآدميّ وكان مما يحتمله صفاتُ الله عزّ سلطانه فهو

مصروف اليه وما صلح لمخلوق سلف من قبل او غبر او لم يُخلق

بعد فانه ملحق به وما كان محضا من المين لا جهة له فاستقيل الله

العثرة فيه والشعر للخلد مثل الصورة لليد يمثل الصانع ما لا حقيقة

له ويقول الخاطر ما لو طولب به لانكره ومطلق في حكم النظم دعوى

الجبان انه شجيع ولبس العزهاة ثياب الزير وتحلى العاجز بحلية

الشهم الزميع والجيد من قبيل الرجل وان قل يغلب على رديه وان

كثر ما لم يكن الشعر له صناعة والفكرة مرنا وعادة وفي هذه الكلمات

جمل يدللن على الغرض والله استغفر واياه اسال التوفيق

«Dum in primo adolescentiae flore eram atque in fervore alacritatis iuvenilis, animum ad poesim inclinavi, eam ad virtutes hominis elegantioris pertinere reputans et supremum esse eloquentis stadium. Postea autem eam abieci, sicut foetus camelinus* membranam, qua involutus nascitur, aut struthiocameli pullus ovum diruptum, artem fastidiens, in qua meliora maximam partem vana sunt et falsa, deteriora autem manca sunt et respuuntur.........

»Quae a me ultra veritatis modum dicta atque ad verbum mortali tributa sunt, si talia sunt, qualia Dei summi maximi perfectiones ferunt, Deo sunt tribuenda; quae autem ita sunt comparata, ut cuivis rei creatae temporis aut praeteriti, aut praesentis, aut futuri conveniant, ad eam referantur. Postremo quae mendacia mera sunt, neque ulla interpretatione ad verum possunt redigi, ea Deum oro ut ignoscat.«

»Quae effigiei ad manum, eadem est poeseos ad mentem ratio; nam, ut artifex simulacra fingit, quibus nihil veritatis inest, sic ea mens comminiscitur, quae, si de eorum ratione rogaretur, prorsus repudiaret.«

»Usu receptum est in poesi, ignavum se fortem iactare, castum sectatoris mulierum vestes induere, et debilem se ornare cultu viri acris atque audacis. Attamen pars melior poematum hominis cuiusvis, etiamsi exigua sit, vincet partem peiorem, licet magna sit; dummodo poesis ei non sit opificium neque cogitatio mos receptus atque consuetudo.«

»Sunt in his verbis sententiae, quae mentem meam indicant. Deum oro ut ignoscat et propitius sit.«

Gravius etiam in praefatione ad Dhau-Es-Sict, quam aetate provectior scripsit:

قد علم الله جلّت عظمته انّ احبّ الكلام الىّ ماذُكر به الله عزّ سلطانه وأُثنى به عليه واذا تكلمتُ بكلمة لغيره عددتها من غبن

»Novit Deus, cuius nomen sanctificetur, eos mihi sermones omnium esse gratissimos, quibus ipse celebratur atque magnificatur; quod si vel unum verbum ab eo alienum loquor, inania mihi videor effutire.«

Atque idem fere animus in extremis iam Diwani carminibus, quae post matris mortem composuit, potest deprehendi, velut in hoc: Metr. Wafer.

وحالى خير حال كنتُ يومًا عليها وهى صبر واعتزال

»Conditio mea optima est, qua unquam usus sum, patientia scilicet et solitudo.«

Haec vitae et animi commutatio, quamquam non du-

bium est, quin ex ipsa viri natura profluxerit, si tamen quaeritur, cui causae externae tribuenda sit, equidem vix dubito, quin illud velut momentum in novis, quas Bagdadi primum hauserit, doctrinis magnam partem quaerendum sit. Et enim Suficorum doctrinam atque Indica illa dogmata de vanitate mundi atque summa divinae contemplationis virtute, quae iam pridem, vel etiam ab initio, cum illa circumferebantur, constat, illis temporibus apud Persas maxime viguisse. Abul-Alam autem, dum Bagdadi commoraretur, cum Persis doctis conversatum fuisse, veri est simillimum. Uno certe, Abu-Ali Mohammede Borudjirdensi, qui et poeta fuit et scientiarum, mathematices imprimis, peritus, familiariter eum usum fuisse, ex ipso Diwano perspicitur. Discipulis quoque Persis usus est, quales fuerunt Feleki et Khacani poetae, auctore Ibn-Shohna. Quin etiam ipse carmen Suficum scripsit, quod in Diwano exstat, non quidem sponte sua, sed rogante quodam amico, ita ut illius doctrinae, si non particeps, peritus tamen fuerit, oporteat. Quae quum ita sint, non mirandum est Abul-Alam, quum natura ad meditationem atque austerum vitae genus propensus fuerit, doctrina, quae eodem tenderet, allectum fuisse et facile devinctum. Quamquam de his nemo recte iudicabit, nisi qui librum »Lozum ma la ialzam« inscriptum, quo Abul-Alae in hoc genere lucubrationes continentur, diligenter tractaverit. Quod quum mihi videre non contigerit, nihil decernere ausim. Sunt tamen indicia quaedam, qualis hic est versus, quem sepulcro suo inscribi iussit. Metr. Camel.

هذا جَناه أبى علىّ وما جنيتُ على احَدْ

»Hoc pater meus in me peccavit, ego in neminem peccavi.«

Quod, monente Ibn-Khallicano, ad dogmata philosophorum referendum est, qui censebant, eum, quicunque filium gignat atque in mundum edat, iniuriam ei afferre, quod huius vitae incommodis et fortunae vicibus eum exponat.

Atque hoc etiam huc pertinet, quod Abul-Ala, aliquanto post quam Bagdado Maarram reversus est, diversum ab eo, quo ante utebatur, victus genus instituerit. Nam indē ab anno aetatis 41 usque donec vixit, carne edenda abstinuit. Quod etiam ad eorum sapientium veterum sententiam Ibn-Khallicanus refert, qui, quum nefas ducerent animalia mactare vel quocunque modo dolore afficere, carnis usum omnino repudiarent. Hanc, quem lateat, Buddhae sectatoribus summam esse legem? Verūm tamen, quum, lacte etiam et ovis Abul-Alam abstinuisse, ab Abul-Feda doceamur, vereor ut ea, quam Ibn-Khallicanus memoravit, ratio sit idonea, et haud scio, an haec nostri abstinentia ad illa potius Brahmanum et Suficorum ieiunia atque castigationes referenda sit, quibus corporis libidines compescere, atque ad naturam divinam propius accedere sibi videbantur.

Ex hac quaestione ad aliam finitimam commode transeo, quid de religione Abul-Ala senserit. De qua magna est inter ipsos Arabes disceptatio. Nam alii omnino incredulum fuisse arbitrantur, atque multis gravibusque argumentis id sibi videntur evincere. Multi enim in posterioribus eius poematis loci reperiuntur, quibus omnes pariter religiones irridere atque etiam vitam alteram infitiari videtur. Quos quidem, quum satis noti sint, ego omittam; si quis videre voluerit, Abul-Fedae Hist. adeat T. III. p. 164 et Pocockii Portam Mosis p. 240. Alii autem, inter quos Abu-Mohammed Batliusensis maxime

est memoratu dignus, (v. Casiri. p. 271) Abul-Alae orthodoxiam omnibus viribus vindicare studuerunt; qua in re hoc maxime argumento usi sunt, quod ipse dicere soleret, si qua scripsisset, quae prima fronte a fide Islamica aliena viderentur, inesse tamen in eis internum quemdam sensum, doctrinae sacrae omnino congruentem. Quod equidem vehementer dubito, utrum vera eius sententia, an potius excusatio fuerit vel praetextus speciosus, quo fanaticorum criminationes defendere studuerit. Nam, qui de his rebus liberius paulo sentirent, eos non nihil periclitatos esse, ex hoc ipsius Abul-Alae patet:

Metr. Wafer.

اذا قلتُ المحال رفعتُ صوتى   وان قلت الصحيح اطلت همسى

»Si absurda dico, vocem licet tollere; vera dicenti semper submissa voce loquendum est.«

Haec autem, ut iam monui, non possunt, nisi posterioribus Abul-Alae scriptis penitus exploratis, plene diiudicari. Nam, quae Sikt-Ezzend in hoc genere habet, ea, et pauca sunt admodum, et iuvenis tantum sententiam produnt. Quorum tamen, quum ad sensum viri probe cognoscendum non nihil conferant, gravissima proferam. Primum quidem notandum est, traditiones sacras et dicta Coranica saepissime eum in carminibus respexisse, ita ut eis penitus imbutus fuisse videatur; quod nemo profecto mirabitur, qui noverit, quam magnum in omni educatione liberali locum disciplinae illae apud Mohammedanos semper obtinuerint. Verum in his rebus, complurium poetarum et Motenabbii imprimis vestigia secutus, levi quadam et quasi iocosa ratione versatus est, ut non tam mysteria sacra attingere, quam fabulas pervulgatas in

ornatum poeticum usurpare videatur. Quale hoc est exemplum:

Metr. Wafer.

شققت البحر من ادب وفهم   وغرّق فكرك الفكر الطموحا

لعبت بسحرنا والشعر سحر   فتبنا منه توبتنا النصوحا

فلو صحّ التناسخ كنت موسى   وكان ابوك اسحق الذبيحا

فيوشع ردّ يوحا بعض يوم   وانت متى سفرت رددت يوحا

»Mare literarum ac intelligentiae traiecisti et ingenia contumacia tuum ingenium submersit.

»Incantamenta nostra (est enim poesis incantatio) ludibrio tibi fuerunt adeo, ut vera poenitentia commoti ea renuntiaverimus.

»Si vera esset metempsychosis, tu Moses esses, atque pater tuus Isaac ille victimae loco habitus.

»Iosua solem olim revocavit, tu, quotiescunque faciem retegis, solem revocas.«

Scilicet ei, cuius in laudem carmen scriptum est, Moses nomen erat, patri autem eius, Isaac; quibus nominibus ludens Abul-Ala significat, eum praestantia ingenii et virtute poetica non minora miracula edidisse, quam ille quondam propheta homonymus ediderit, quum mare rubrum traiecerit atque Pharaonis incantatores divina potentia confutaverit. In versu ultimo faciem viri quasi splendidam soli, ut solet, comparat.

Quin etiam fabulas quasdam a Corano depromptas, prorsus alia mente ac Mohammed et traditio sacra nonnunquam Abul-Ala interpretatur. Quale hoc est exemplum. Nam, quum Salomo in Corano traditur, equos eximios, quibus contemplandis intentus, preces vespertinas omi-

sisset, sancta poenitentia percitus immolasse, hoc idem Abul-Ala documentum profert, quid nimia festinatio detrimenti afferat: Metr. Khafif.

طالما أخرج الحزين جوى الحزن الى غير لائق بالسداد

مثل ما فاتت الصلوة سليما ن فأنحى على رقاب الجياد

«Jam pridem impulit doloris ardor dolentem ad actiones a ratione alienas,

«Velut Salomo, propter omissas preces, cervices equorum nobilium ferro percussit.»

Quid quod ipsi Prophetae virum, quem laudat, interim audet exaequare; ut, quum Alidam quemdam celebrat, cui Mohammed erat nomen: Metr. Camel.

لولا انقطاع الوحى بعد محمد قلنا محمد من أبيه بديل

هو مثله فى الفضل الا انه لم ياته برسالة جبريل

«Nisi abrupta esset post Mohammedem revelatio, diceremus: hic Mohammed patrem suum supplet.

«Illi praestantia par est, nisi quod nullum ei mandatum Gabriel attulit.»

Atque de alio quodam: Metr. Basit.

ولو تقدم فى عصر مضى نزلت فى وصفه معجزات الآي والسور

«Si in tempora praeterita incidisset, in eius laudem miracula Versuum et Surarum missa fuissent.»

Haec omnia satis testantur, Abul-Alam sacra Islamica non magna coluisse reverentia. Quibus hoc non repugnat, quod Prophetam eiusque prolem, vel maioribus, quam probum Moslimum decet, laudibus, interdum ex-

tulit; nam his, quum Alidam alloqueretur, ea tantummodo mente usus est, ut viri dignitatem, celebrata maiorum gloria, amplius illustraret; qualia haec sunt:

Metr. Khafif.

يا ابن مُستعرِض الجيوش ببدرٍ   ومُبيد الجموع من غطفانِ
أَحَدِ الخمسة الذين هم الاعراض   فى كل منطق والمعانى
والشخوص التى خُلقن ضياء   قبل خلق المرّيخ والميزانِ
قبل ان تُخلق السموات اوتؤ   مر افلاكهنّ بالدَّوَرانِ

«O fili illius (Alidis), qui exercitus apud Bedr concidit, atque Ghatafanitarum cohortes interemit,

«Unius quinque illorum (sc. Mohammed, Ali, Fatimae, Hasan, Hosein), qui omnis orationis scopus sunt atque sensus,

«Quique creati sunt luminum instar ante Martis et Librae sideris creationem,

«Antequam coeli creati sunt aut sphaerae eorum iussae sunt circumagi.»

De Christianis autem, (nam id ipsum, quum Christianum eum fuisse quidam contenderint, nonnullius est momenti) nihil praeter hunc versum in Diwano repperi:

Metr. Wafer.

أَعُبّادَ المسيح يَخاف صَحْبى   ونحن عبيدُ من خَلَق المسيحا

«Num Christi cultores comites mei timeant, quum eum nos colimus, qui Christum creavit,?»

Unde intelligi potest, Christianos, qua ratione Mo-

hammedani solent omnes, eadem ipsum quoque iudicasse, scilicet ut qui Creatoris loco hominem venerentur.

Iam autem quaerendum est, qualem hominum post mortem conditionem fore, putaverit. Atque in hoc non facile possum aliquid certi statuere. Nam interdum doctrinam Islamicam arcte sequi videtur quale versus, quos ex elegia in patris mortem scripta supra reddidi, exemplum praebent satis idoneum. Quamquam nescio an illa ornatus potius poetici gratia, quam ex animi sententia dixerit. Plerumque autem illarum rerum scientiam vult penes solum Deum esse, homines nihil certi habere, ut in his: Metr. Tawil.

جَهِلنا فلم نعلم على الحِرص ما الذى   المرادُ بنا والعلم لله ذى المَنّ

اذا غيّب المرء استسرّ حديثُه   ولم تُخْبِر الافكارُ عنه بما يُغْنى

تضِلّ العقولُ الهِبْرِزيّاتُ رُشْدَها   ولم يَسْلم الرأىُ القوىّ من الأفن

«Ignari sumus, neque scimus, sciendi licet cupidi, quid nobis destinetur; scientia est penes Deum clementem.

»Ut semel homo e conspectu sublatus est, quid eo fiat latet, neque quidquam sufficiens de eo ratio nos docere potest.

»Intellectus firmissimus aberrat a via recta atque validissimum quodque ingenium non est imbecillitatis expers.«

Atque aliquot versibus interiectis defunctum sic alloquitur:

هنيًّا لك البيتُ الجديدُ مُوسَّدًا   يمينَك فيه بالسعادة واليُمْنِ

مُجاوِرَ سَكنٍ فى ديارٍ بعيدة   من الحىّ سَقيًا للديار وللسكنِ

طلبت يقينا من جهينة عنهم ولم تخبريني يا جهين سوى ظن

فان تعهديني لا أزال مسائلا فاني لم أعط الصحيح فاستغني

وان لم يكن للفضل ثم مزية على النقص فالويل الطويل من الغبن

»Saluti tibi sit atque felicitati domus nova, in qua pro cervicali dextra uteris [1]),

»Atque vicinus es incolis sedium a vivis remotarum; utinam rigentur (sc. bene se habeant) sedes et incolae.

»A Djohaina notitiam certam de eis petivi; at, o Djohaina, nihil me docuisti praeter opiniones [2]).

»Si me indesinenter rogantem vides, ideo fit, quod nihil adhuc veri accepi, quo contentus sim.

»Quod si illic (sc. in vita altera) nulla virtuti prae vitio praestantia tribuitur, eheu! quam misere decepti sumus!«

Esse autem utique vitam futuram, neque aperte neque occulto, ullo Divani loco negavit. Immo esse, non semel atque tam expresso asseruit, ut nullus remaneat dubitandi locus, quin id sibi persuasissimum habuerit. Sic matrem deflens:

Metr. Wafer.

سألت متى اللقاء فقيل حتى يقوم الهامدون من الرجام

ولو حدوا الفراق بعمر نسر طفقت أعد أعمار السمام

فليت أذين يوم الحشر نادى فأجهشت الرمام الى الرمام

---

[1]) Sic mortuorum membra solent in sepulcris componere.

[2]) Hoc petitum est a proverbio solemni عند جهينة الخبر اليقين. »Penes Djohainam notitia certa;« Djohaina autem nomen est tribus cuiusdam.

»Rogavi, quando essem cum ea conventurus; Responderunt: quando, qui dormiunt, resurgent e sepulcris.

»Atque si separationi spatium vitae vulturis statuissent, Samamae avis coepissem vitas numerare[1]).

»Ultinam praeco diei resurrectionis vocem tolleret atque ossa contrita consurgerent ad se invicem coniungenda.«

Iam autem invehitur in negantes: Metr. Khafif.

خُلِقَ النّاس للبقاء فضلّت أُمّة يَحْسبونهم للنفاد

انما يُنْقَلون من دار أعمال الى دار شَقْوة او رشاد

ضَجعة الموت رَقدة يستريح الجسم فيها والعيش مثلُ السُّهاد

»Homines creati sunt ad aeternam vitam; errant, qui interitui destinatos putant.

»Transferuntur tantummodo e domo actionum in domum miseriae aut beatitudinis.

»Cubatio mortis somnus est, in quo corpus requiescit, vita autem est vigiliae instar[2]). Metr. Camel.

جازاك ربّك بالجِنان فهذه دار وان حَسُنَتْ تغُرّ بسُحْتها

ضلّ الذى قال البلادُ قديمةٌ بالطبع كانت والانام كنبتها

وأُمامَنا يومٌ يقوم فُجوده من بعد إبلاء العظام ورفتها

---

[1]) Vultures diuturna admodum vita uti putantur, Samamas autem aves, quae sunt hirundinum genus, brevissima. His verbis significat quanto matris revidendae desiderio ardeat, sic fere, ut nos solemus dicere: dies atque horas computo donec veniat.

[2]) Vitam alteram commentator cod. Paris. putat significari.

Remuneretur te Dominus tuus Paradiso; haec est domus, quae, licet pulchra sit, bonis illicitis corrumpit.

»Errant, qui terram autumant ab omni aeternitate atque ipsa eius natura fuisse, et animantia tanquam plantas ea produci[1].

»Futura est dies, qua dormientes resurgent, post quam ossa contrita atque comminuta fuerint.«

His omnibus satis manifestum est, Abul-Alam, in hac certe aetatis parte, immortales esse animos, credidisse; quod si alias in sententiam contrariam transiisse videtur, sunt tamen indicia, priorem illam nunquam omnino eum abiecisse, atque ea quasi scrupulo inhaerenti sollicitum interim ac cruciatum fuisse. Cuius anxietatis vel hoc ab Ibn-Khallicano traditum satis grave est documentum. Nam Menazius ille supra memoratus, vir summus idemque poeta insignis, quum, in itinere quodam per Maarram transiens, Abul-Alam salutandi causa adiisset, is autem de vitae suae conditione multum conquereretur, ut qui hominum societate exclusus esset, atque omni modo ab eis vexaretur, respondisse fertur: »Quid rei est te inter et »illos, Abul-Ala? hanc vitam et alteram tu eis reliquisti.« Tum Abul-Ala, »etiam alteram«, inquit, »etiam alteram« atque hoc iterum ac saepius repetito, moestitia et pudore affectus, nullum amplius verbum emisit, donec ille discessit.

Illis autem Abul-Alae querimoniis cives eius maxime

---

[1]) Tam ad hos quam ad praecedentes versus Scholiastes monet, sectam illam innui quam الدهريون vocabant, scil. Arabum materialistas, de quibus vide Schmölders, Ecoles philosophiques chez les Arabes, p. 14.

tactos ut putem, alio dicto simili inducor, quod in Chronico Halebensi traditum reperio. Nam quum Saleh Mirdasi filius, Kilabitarum dux, qui ab anno 415 usque ad annum 420 Halebi imperium tenuit, instigante Theodoro quodam Christiano, quo veziri loco utebatur, septuaginta summos viros Maarrenses in carcerem coniici iussisset, Abul-Ala, civium precibus commotus, regem supplex adiit atque pro illis tam diserte est deprecatus, ut is tandem mitigatus dixerit: »O senex, tibi eos do«, atque continuo custodia emitti iusserit. Tum Abul-Ala traditur hos versus ex tempore effudisse: Metr. Motacareb.

تغيّبتُ فى منزلى برهةً ستيرَ العيون فقيد الحَسَدْ
فلمّا مضى العُمر الّا الأقلّ وحُمّ لروحى فراقُ الجَسَدْ
بُعثتُ شفيعًا الى صالحٍ وذاك من القوم رأىٌ فَسَدْ
فيَسْمعُ منّىَ سَجْعَ الحَمام وأَسْمعُ منه زئيرِ الاسَدْ
فلا يُعْجِبَنّىَ هذا النَفاقُ فكم نفّقتْ مِحنةٌ ما كَسَدْ

»Diu domi latui, obvelatis oculis, citra invidiam positus (sc. mediocritate conditionis meae).

»Et postquam aetas mea praeter minimam partem exacta erat, atque iamiam decreta erat animae meae e corpore migratio.

»Deprecator missus sum ad Salehum, quod a populo meo male consultum est,

»Ut is ex me voces palumbis[1]), ego autem ex eo rugitum leonis audirem.

---

1) سجع. Sic genus quoddam orationis vocant, quod

In tanto pretio me nunc haberi, mirari nolo; quoties calamitate effectum est, ut merx, contemta modo, multos reperiret emtores?«

In ultimo versu cives suos carpere videtur, qui prospere agentes se parum curarent, iidem si in malum quoddam incidissent, necessitate coacti ad se confugerent. Igitur, quod vulgo dici solet, neminem a suis prophetam haberi, id Abul-Ala etiam a Maarrensibus expertus est. Ab exteris autem, in summo semper habitus est honore, atque cum multis viris auctoritate aut ingenio conspicuis amicitia ac mutuo literarum usu coniunctus est; sic, exempli gratia, Aziz-Eddaulae et Sanad-Eddaulae, a Khalifa Aegyptiaco Halebo utriusque praefecti, ex Chronico Halebensi compertum habemus, magnam in eum voluntatem fuisse, atque eis orantibus tractatus quosdam eum conscripsisse, quales sunt رسالة الصاهل و الشحاج كتاب القائف et الرسالة السندية. Atque quanta eruditionis eius fama ad remotissimas usque regiones diffusa fuerit, vel ex uno Tebrizii exemplo potest intelligi, qui quum in Azerbidjanae urbe, a qua nomen accepit, in librum quendam de lingua Arabica incidisset, atque doctorem adire constituisset, qui eum sibi interpretaretur, nullum sibi visus est Abul-Ala eruditiorem reperire posse, et, libro perae indito atque humeris imposito, Maarram continuo pedes profectus est.

Iam autem nihil superest nisi ut de morte Abul-Alae dicam, quae in annum ab Hedjra 449. (post. Chr.

---

metris quidem non vinctum, sed in membra tamen distributum est, atque homoioteleuto ornatum, cui palumbum gemitus crebro comparatur.

n. 1057.) aetatis autem octogesimum sextum[1]) incidit, quamque ex Ibn-Khallicani verbis breviter tradam. Postquam per tres dies morbo conflictatus est, ineunte quarto animam exspiravit, nemine praesente praeter eius patrueles. Quos quum die, a quo aegrotabat, tertio, dictante se iussisset scribere, ii autem calamos atramentumque in manus sumsissent, deliramenta coepit dictare. Tum Abu-Mohammed Abdallah, Kadhi Tenuchita, qui forte aderat, «optime vos, inquit, Deus consoletur; hic iam mortuus est», haud falsa quidem auguratus, nam postero die vita discessit. Defunctum inter popularium domicilia sepulcro tradunt, quod sepulcrum Ibn-Khallicanus, qui ducentis fere post annis scripsit, in aula quadam parvo ostio atque antiquo munita adhuc exstare quidem, sed, ab eius gente neglectum, vetustate collabi, testatur. Octoginta quatuor elegias in eius tumulo recitatas fuisse, auctor est Tebrizius; ex quibus omnibus, et ipse, et Ibn-Khallikanus, hos tres solos versus discipuli cuiusdam Abul-Alae memoriae tradiderunt: Metr. Camel.

إِن كنتَ لم تُرِقِ الدماء زهادةً فلقد أَرَقْتَ اليوم من جفنى دَما

سَيَّرتَ ذكرك فى البلاد كانّه مسكٌ فسامعةً يُضَمِّخُ او فَمَا

وأَرَى الحجيجَ إِذا ارادوا ليلةً ذِكراك أَخرج فِدْيةً من أَحْرَمَا

«Qui vivus abstinentiae causa sanguinem nolebas effundere, hodie ex palpebris meis sanguinem effundis. (sc. lacrymas propter doloris acerbitatem cruentas elicis.)

---

[1]) Hi sunt anni lunares, qui nostrorum octoginta tres paulo plus efficiunt.

«Famam tuam per orbem terrarum diffudisti, quasi moschum, aures atque ora suavi odore implentem.

«Si te sermone nocturno peregrinatores sacri commemorare volunt, ei mulcta solvenda est, quicunque voto se obligaverit.»

Votum innuit, quo Meccam peregrinantes, ad veneris unguentorumque abstinentiam se abstringebant. Quod si quis fregerat, piaculo ei opus erat. Quum autem Abul-Alae famam unguenti loco esse dixerit, inde sequitur eum, quicunque eius mentionem fecerit, votum frangere. Probus mehercule discipulus atque ipso magistro in hoc genere superior, nam nescio an nunquam tam subtile tam longe petitum quidquam Abul-Ala dixerit.

PARS ALTERA.

De Abul-Alae carminibus.

Caput primum.

Qualis Abul-Ala poeta fuerit quaesituris nobis videndum est primum, quos libros scripserit; quum autem alii omnes mihi praeter inscriptiones omnino sint ignoti, de solo Diwano, Sict-ezzend inscripto, quod totum diligenter perlegi atque tractavi, hic disserendi consilium est et facultas; quod quidem iamiam videbimus satis amplum aperire indagatoribus campum. Atque primum de inscriptione libri dicendum est, quae mira fortasse et parum perspicua nonnullis videbitur; nam سقط الزند scintillas proprie significat, quae primae igniario excuduntur, illo scilicet igniario, quod duobus lignis invicem confricandis Arabes apparare solebant. Quid autem illae hic sibi velint, diversis modis commentatores exponunt. Nam inde Abul-Fadhl petitum esse vult hoc nomen, quod, quemadmodum exiguus primum ignis neque sine magno labore igniario extunditur, sic adolescentis ingenio priora illa poemata parce atque operose elicita sint. Perperam, mea sententia; atque haec Tebrizii interpretatio, quae fortasse ipsius Abul-Alae fuit, longe videtur probabilior: »Huic

Diwano, inquit, primitias illas poeseos ingenio suo liberaliter effusas cum igne comparans, qui igniario primus excitatur, Sict-ezzend nomen indiderat. Hinc autem nolim coniicere quemquam ea tantum poemata Diwanum complecti, quae adolescens Abul-Ala composuerit; et enim plurima iuvenis, multa media demum aetate conscripsit; atque si certi quidam fines statuendi sunt, quae ab anno aetatis decimo octavo usque ad quadragesimum condidit, ea fere dixerim Sictezzendo contineri. Quae quum sint perquam multa, videlicet centum et duodecim, non inopportunum erit in certa quaedam genera ex argumenti ratione dividere.

Igitur carminibus laudatoriis, quum caetera omnia numero longe excedant, primus sit locus. Quod argumenti genus ut possim ostendere quibus variis modis a nostro sit tractatum, rem necesse est paulo altius repetam. Poetarum veterum, quas Casidas vocant, notum est, tribus fere partibus constare. Nam initio a rebus amatoriis capto ad itinera sua describenda plerumque transeunt, inde autem eam tandem rem, in qua poema maxime vertitur, adoriri solent. Hunc vero rerum ordinem, quem priscorum exemplo commendatum posteriores tanquam legem necessariam subierant, Motenabbius, licet in carminibus suis plerumque secutus sit, primus tamen ut factitium atque naturae repugnantem impugnasse fertur. Eundem Abul-Ala huius fortasse auctoritate fretus plerumque neglexit, nam paucissima apud eum carmina reperiuntur ad illam casidae antiquae normam conformata; quod si quando duo illa priora argumenta assumit, ordinem tamen varietatis gratia multis modis invertit atque ex alia re in aliam ingeniosa saepe transitione de improviso decurrit. Quale carmen illud in Said-eddaulae laudem scriptum, quod primum in Diwano locum obtinet,

exemplum est. Nam facta primum itinerum suorum mentione camelos inducit se rogantes, quorsum tandem intendat, atque, quum Saïdum se petere responderit, ex ipsa nominis significatione fausta sibi augurantes; inde autem ipse ansa sibi arrepta regis laudes incipit celebrare. Eadem quasi prooemia alibi retinuit quidem, sed ad angustissima spatia redegit ita, ut, amica uno tantum versu vel duobus commemorata, laudes viri exordiretur; ut fecit in carmine XLVIII cuius hoc initium est. M. Tavil.

هو الهَجْرُ حتى ما يُلِمُّ خَيالُ وبعضُ صُدودِ الزائرين وِصالُ

فَتًى تَقْصُرُ الأَبصارُ عن قَسِماتِه ولا سَتْرَ الّا هيبةٌ وجَلالُ

»Haec vera est separatio, in qua ne imago quidem amicae nos visitat, prae qua alii visitantium discessus quasi coniunctiones sunt.

»Ille vir est, cuius faciem oculi intueri non valent, nullo alio velo defensi nisi reverentia et maiestate.«

Plerumque autem repudiata omnino veterum traditione aut in medias res insilit atque virum, quem laudat, a principio alloquitur, aut exordio sibi a re qualibet desumpto artificioso quodam flexu et praeter exspectationem ad herois laudes se convertit; velut in carmine XIV in Abu-Ibrahim Sherifi laudem scripto, post longam noctis descriptionem, crepusculum propter rubrum colorem testem esse vult aeternum caedis Alidis Hoseinique, inde autem ad gloriam Alidarum ipsiusque imprimis Scherifi illustrandam commode transit. Aliud eiusdem generis exemplum carmen VII praebet, in quo, variis ficto cuidam amico consiliis datis, tum hoc maxime suadet, ut principis, cui poema scriptum est, signa victricia sequatur. Quod, quum breve sit, licet proferre: Metr. Camel.

أدنى الفوارس من يغير لمغنم   فاجعل مغارك للمكارم تكرم

وتوق أمر الغانيات فانه   أمر اذا خالفته لم تندم

انا أقدم الخلان فارض نصيحتي   ان الفضيلة للحسام الأقدم

والحق بتباع الأمير وكن لهم   تبعا لتصبح بالمحل الأعظم

واستنز بالبيض الحسان ولا يكن   لك غير همة صارم ولهذم

المتقي بالخيل كل عظيمة   والمستبيح بهن كل عرمرم

»Is est equitum abiectissimus, qui praedae causa incursionem facit; tu honoris causa hostes invade, honoraberis.

»Et cave puellarum illecebras, nam eae sunt, quibus si restiteris, non poenitebit te.

»Ego veterrimus sum amicorum tuorum; accipe igitur monitionem meam; veterrimus quisque gladius praestantissimus est.

»Adiunge te ad asseclas Emiri, eorumque assecla esto, ut ad summum locum pervenias,

»Et aspernare puellas candidas formosas, neque quicquam tibi curae sit, nisi ensis aut hasta;

»Illius [1] (Emiri), qui turmis suis omne periculum defendit, omnem concidit exercitum.«

Sic exorsus ducis illius laudes per reliquum carmen pergit decantare. Inter alia permulta, quibus usus est, exordia hoc imprimis mirum est ac memoratu dignum,

---

[1]) المتقى in genitivo positum est et cum الامير in versu a fine tertio per appositionem coniungendum.

quod interdum, virum quemdam cantaturus, a se ipso auspicatus, in vulgus et invidos invehitur, atque tanta verborum pompa ad coelum se ipsum attollit, ut nullus alienae laudi locus remanere videatur, ad hanc tamen, paucis interiectis, inopinato declinat, ut in carminibus VI, XVI, XVII, XIX, etc.

Aliud, huic finitimum genus epistolae quaedam efficiunt, eae praesertim, quas Maarram reversus ad familiares suos Bagdadum misit. Quippe in his, casidae antiquae viam modumque plerumque secutus, ficta quadam amica primum, tum periculoso per deserta itinere atque bellicosis nomadum moribus late et diffuse descriptis, amicum deinde, cui scribit, ex abrupto alloquitur aut nubi cuidam (ut in carm. LXVII) salutem ei impertiendam mandat atque sic ad ea transit, quibus sibi dictis est opus. Ita fit, ut carmina illa duobus partibus omnino inter se diversis constent, quarum altera in exercitatione quadam poetica atque argumento commentitio posita sit, altera ea sit, quam unam proprie epistolam dixeris. Neque tamen semper eum ratione a natura tam aliena usum esse, multae aliae testantur epistolae, velut illa ad Abul-Casem Tenuchitam scripta, qua iucundorum, quae Bagdadi una cum eo degerit, temporum recordatur eumque de sua conditione certiorem facit; item carmina duo XXV et LXV, quibus amicis exprobrantibus, quod aegrotos non visitasset, se excusat, atque alia, quae ad viros quosdam doctos peregrinantes una cum donis de modicis facultatibus misit, cuius generis duo illa breviora sunt, quae a Sylv. de Sacy in Chrestomathia vulgata sunt.

Iam autem ad aliud genus transeo, quod cum proximo non nihil habet cognationis; breviora illa dico carmina, quae sive casidarum fragmenta sint, sive per se

ipsa constent, in duobus illis casidae veteris argumentis prioribus, re amatoria et itinerum descriptione, unice versantur. Qualia sunt carmina XXIV, XXX, XXXII, XLVII, LI, LII, LIV, LV. Quae omnia prorsus fictitia sunt atque a vera Abul-Alae vita longissime separata, ita ut nequidquam in his nisi novam atque artificiosam imaginum a veteribus traditarum conformationem sectatus esse videatur.

Quartum genus carminibus gratulatoriis constat, quorum tria in nuptias, duo in festa natalitia scripta in Diwano reperiuntur. Huius generis illud, de quo supra dixi, epithalamium specimen adiiciam, quo Said-ed-daulae, regis Halebensis, nuptiae celebratae sunt. Qui quum uxorem ducens satellites omnes ab aedibus removisset, quod nimia sollicitudine atque zelotypia effectum erat, in nuptae laudem atque ornatum poeticum sollertissime Abul-Ala convertit (vid. vers. ٩).

Metr. Khafif.

١ اِبْقَ فى نِعْمَةٍ بَقاءَ الدُّهورِ نافذَ الأَمرِ فى جميع الأُمورِ

خاضعاتٍ لكَ الكواكبُ تَخْتَصُّ مواليكَ بالمَحَلِّ الأَثيرِ

لا يُؤَثِّرن فى الولىّ ولا الحا سد حتى تُشيرَ بالتأْثير

وتَهَنَّ النُّعمى السنيّة وَٱلبَسْ حُلَلَ المجد والفَعالِ الخطير

٥ وتَمَتَّعْ بنَضرةِ العيش اذْ جا ءتْك فى رَوْنَق الزمان النضير

خَيْرُ أَيدى الزمانِ عند بنى الدُّنْيا أَتَتْ فى أَوان خير الشهور

كُنتَ موسى وافَتْك بنتُ شُعَيب غيرَ انّ ليس فيكما من فقير

لم يَكُنْ قَصْرُكَ المُنيفُ لِيَسْتَنْــزِلَ الّا أَعْلَى بَنـاتِ القـصـور
رَحَلَتْ مِن فِنائِهِ شُهْبُ الغِلْــمانِ خوفًا من ضوء فَجْرٍ مُنير
١٠ كان كالأُفْقِ حينَ هَمَّتْ به الشمـــسُ تنادَتْ نُجومُــه بالمَسير
يا لها نِعْمةً ولـيس ببِدْعٍ أَن تَحُوزَ الشموسُ رِقَّ البُدور
دُرَّةٌ من ثَراكَ تَسْكُنُ بحرًا وكذا الدُّرُّ ساكنٌ في البحور
أَنْتَ شمسُ الضُحَى فمنكَ يُفيدُ الـصُّبحُ ما فيه من ضياء ونور
قد أَتاكَ الرَّبيعُ يَفْعَلُ ما تأْ مُرُه فِـعْلَ عـبـدك المأمور
١٥ وكسا الارضَ خدْمةً لكَ يا مَوْ لاهُ دونَ الملوكِ خُضْرَ الحرير
فَهْيَ تَختالُ في زَبَرْجدةٍ خَضْـراءَ تُغْذَى بلؤلؤٍ منـثـور
وغَدَتْ كلُّ رَبْوةٍ تَشْتَهي الرَّقْــصَ بثَــوْبٍ من النَّبات قصير
ظَلَّ للناس يومَ عَقْدِك هذا آلِ أَمْرِ عيدٌ سَمَّوْه عيدَ السُّرور
اِن يَكُنْ عيدُهم بغيرِ هِلالٍ فالـهـلالُ لَمُضِيءُ وَجْهِ الأَمير
٢٠ راقَهم مَنْظَرًا وهابُوه خوفًا فَهْوَ مِلْءُ العيونِ مِلْءُ الصدور
سَرَّ أَهلَ الأَمصارِ والبَدْوِ حتى جازَهم عامدًا لأَهلِ القبور
رَدَّ أَرواحَهم فلولا حِذارُ آلـلّه قاموا من قبلِ يومِ النُشور
لا تَسَلْ من عِداك اين استقرّوا لَحِقَ القومُ باللطيفِ الخبير
حَلَبٌ للوَلِيّ جَـنّـةُ عَدْنٍ وَهْيَ للغادرين نارُ سعير

٢٥ والعظيمُ العظيمُ يكبرُ فى عينيه منها قدرُ الصغيرِ الصغيرِ

وقُويق فى أنفس القوم بحرٌ وحصاةٌ منه نظير ثبيرِ

عشتَ حتى يعود الأمسُ لعلمى انّه لا يعودُ بعد المرور

فادّعاء الملوك غيرك إذْرا كَ المعالى دعوى شقاقٍ وزورِ

1 Permane in vita beata, quantum durant saecula, summo pollens imperio in rebus omnibus,

Astris morem tibi gerentibus et excelsum asseclis tuis locum tribuentibus,

Neque quicquam in amicum vel osorem efficientibus nisi tu iusseris.

Fruere felicitate summa et indue vestes gloriae atque generositatis eximiae,

5 Et gaude flore vitae, quum ad te venerit in splendore floridae tempestatis [1]).

Optima fortunae in mundi filios beneficia venerunt in optimo mensium.

Moses alter fuisti, ad quem Schoeibi filia venit, nisi quod neuter vestrum pauper erat [2]).

---

[1]) Nuptiae illae ineunte vere actae sunt.

[2]) Respicit haec Corani verba XXVIII. 24 فقال رب انى لما انزلت الى من خير فقير Dixit Moses: »Mi domine, indigebam eo bono, quod ad me misisti.« Multa fabulatur traditio Moslemica de summa qua Moses pressus sit inopia, quum in Modianitarum terram, ex Aegypto fugiens, advenerit. Schoeib autem idem est qui in Exodo Jetro nominatur, cuius filiam minorem Sifforam Moses uxorem duxit. Quorsus autem illa hic spectet allusio fateor me parum perspexisse. Nam quum primum opinatus essem in

Excelsae aedes tuae non dignantur quemquam accipere, nisi nobilissimas regiarum filias.

Satellites, stellarum instar, fulgentis aurorae lucem veriti, migrarunt ex earum (aedium) aula.

10 Et ea (aula) coelo erat similis, quum, accedente sole, sidera se invicem ad recessum vocant.

Utinam beate vivat (nupta). Non mirum est soles lunas in potestatem suam redigere[1]).

Margarita est quae apud te mare (seu virum generosum) habitat, sic margaritae maria solent habitare.

Tu sol es matutinus; a te quidquid sibi lucis et splendoris inest aurora accipit.

Ver venit ad te quidquid eum iusseris perficiens tanquam servus, cui imperas.

15 Et tibi inserviens, qui prae regibus caeteris dominus eius es, sericis viridibus terram vestivit.

Eaque superbit smaragdo (ornata) viridi, margaritis abundanter sparsis nutrita[2]).

---

eo poetam ludere quod is, cui carmen scriptum est, ipse Musa vocaretur, postea non ita esse inde cognovi, quod illis temporibus nemo Aleppi regnavit, cui Musa nomen esset.

[1]) Quae modo satellitibus opposita, solis similitudine illustrata est, eadem prae rege, qui ipse est solis instar, non nisi [illegible] luna potest comparari.

[2]) Smaragdo viriditas pratorum significatur; roris guttas frondibus pendentes, ut nos, ita Arabes margaritis solent comparare, quale hoc Zurrommae poetae exemplum est:

Metr. Basit.

وَحْفٌ كانّ الندى والشمس طالعة • اذا توقّد فى حافاته التوم

(Vallis) herbis luxurians, cuius in lateribus roris guttas oriente sole accensas putares margaritas esse.

Collesque omnes brevibus e plantis vestibus induti saltare gestiunt [1].

Dies, quo hoc matrimonium pactus es, non desiit hominibus festus esse dies, quem laetitiae festum vocarunt.

Quod si eorum festum luna caruit, Emiri facies lucida ei luna fuit.

20 Eius (festi) aspectu delectati, timidi tamen reverebantur, oculos (admiratione) et pectora simul (reverentia) implebat.

Tam urbium quam desertorum incolas gaudio perfudit, donec eos praetergressus sepulcrorum incolas petiit.

Eis vita reddidit et nisi Dei metus fuisset, ante diem resurrectionis surrexissent.

Ne roga de hostibus tuis, ubi morentur, iamiam pervenerunt ad Deum clementem sapientem (sc. perierunt.)

Haleb amicis hortus est Paradisi, perfidis ignis Gehennae.

25 Minimum quodque in eo magnum est prae eo, quod est alibi maximum.

Kuaik fluvius in opinione hominum mare est, et lapillus ex eo Thabiro monti similis [2].

---

[1]) Colles brevibus sub veris initium herbis virentes cum saltatoribus comparat, qui curtis vestibus uti solent.

[2]) Kuaik parvus est fluvius, apud quem Haleb urbs posita est. Thebir est mons excelsus admodum non procul a Mecca Orientem versus.

Utinam vivas donec dies hesternus redeat; scio enim, eum, postquam praeterlapsus est, nunquam rediturum.

Quod si praeter te reges alii fastigia gloriae se adeptos esse contendunt, inique hoc et falso sibi vindicant.

Iam de carminibus lugubribus dicendum est, quorum Abul-Ala septem composuit, longiora quidem atque digna meo iudicio, quae inter praestantissima totius Diwani numerentur. Nam, dum in caeteris exempla veterum sibi imitanda proposuisse videtur, in his multo liberius versatur, atque per doloris affectus modo, modo per graves de morte et rerum humanarum fragilitate commentationes proprio impetu decurrit. Horum exempla infra reddemus. Epigrammata etiam habet, nam haud scio quo nomine aptius possent carmina illa brevissima nuncupari, in quibus argumentum quoddam levius ingeniose vel argute tractatum est. Quale hoc est de puella quadam, quae velum album pictis avibus distinctum vultui obtenderat: Metr. Camel.

الحسن يعلم أن من واريته قمر تستر في غمام أبيض

غشي الطيور غوافلا فتحيرت منه فلم تبرح ولم تتنفض

»Novit pulchritudo eam, quam occulto (scil. velum ipsum loquitur), lunam esse nube alba velatam,

»Quae avibus imprudentibus supervenit ita ut illae eius adspectu obstupefactae neque aufugerint neque se commoverint.«

Atque hoc in obtrectatores: Metr. Motacareb.

تعاطوا مكاني وقد فتهم فما أدركوا غير لمح البصر

وقد نبحوني فما هجتهم كما نبح الكلب ضوء القمر

»Affectaverunt sublimitatem meam; ego autem eos fugi, neque quidquam assecuti sunt nisi adspectum brevem.

»Allatraverunt me non irritantem, ut lunae lucem canis solet allatrare.«

Hoc autem scripsit de amica canitiem sibi exprobranti: Metr. Khafif.

هى قالت لمّا رأت شيب راسى   وأرادت تنكّرًا وازورارا

انا بدرٌ وقد بدا الشيبُ فى را   سك والصبحُ يطرُد الأقمارا

لستِ بدرًا وانّما انتِ شمسٌ   لا ترى فى الدُّجى وتبدو نهارا

»Postquam canum caput adspexit et me aspernari atque deserere voluit, locuta est:

»Luna ego sum; iam autem orta est in capite tuo canities; lunas aurora fugare solet.

»(Respondi): Non luna es, verum sol, qui quidem noctu latet, interdiu apparet.«

Ludus inest non illepidus, qui comparationibus canitiei cum aurora, nigrae autem comae cum nocte, Arabibus usitatissimis, nititur.

Postremo de carminibus quibusdam dicendum est, quae, ut peculiare genus efficiunt, ita separatum in Diwano locum obtinent, et communi appellatione comprehenduntur scil. الدرعيات, quasi carmina loricaria, ita dicta, quia in loricis describendis maxime versantur. Horum argumenta sunt exercitationis gratia reperta atque omnino commentitia; quod iam in eo cernitur, quod non suo nomine in eis poeta loquitur, sed alienam plerumque fictamque personam induit; qualis est, exempli gratia, bellatoris senis qui loricae, quam senio confectus sustinere amplius non potest, supremum vale dicit atque rerum, quas ea indutus olim praeclare gesserit, memoriam repetit, aut

adolescentis, qui matrem orat, ut patris loricam iamdudum rubigine obductam pugnare gestienti tandem sibi tradat. Interdum ad quamdam idyllii similitudinem accedit, ut quum militem quemdam inducit apud mulierem in hospitium diversantem, quae, ut primum loricam equo impositam adspexit, nitorem eius admirata, tanto eius emendae desiderio invaditur, ut annulos armillasque aureas hospiti contra offerat; is autem, quum in praelia sibi ruituro armis non mundo sit opus, obstinate negat se venditurum. Haec omnia propter artificiosum quoddam dicendi genus Arabibus doctis summopere placuisse videntur, nostrum autem cuique taedio arbitror et fastidio fore; adeo referta sunt imaginibus falsis omnem modum excedentibus, eisque ad satietatem repetitis, et corruptissimis verborum ludis foedata. Quare vel uno exemplo, eoque brevi, haec satis expositum iri arbitror, quod ab eo carmine sumam, in quo loricam (nam ipsis armis loquelam interim tribuit), gloriantem inducit gladioque dira minitantem: Metr. Wafer.

ألم يبلغك فتكى بالمواضى وسخرى بالأسنّة والزجاج
وأنّى لا يغيّر لى قتيرا خضاب كالمدام بلا مزاج
منعت الشيب من كتم التراقى ولم أمنعه من خطى العجاج
فهل حدّثت بالحرباء يلقى براس العير موضحة الشجاج
يصبّح ثعالب المرّان كربا صياح الطير تطرب لابتهاج
غدير نقّبت الخرصان فيه نقيق علاجم والليل داجى
أضاة لا يزال الزغف منها كفيلا بالاضاءة فى الدياجى

حرامٌ أن يُراق نجيعُ قِرنٍ يجوبُ النقعَ وهو إلىّ لاجى

يُقضَّبُ عنه أمراسَ المنايا لباسٌ مثلُ أغراس النتاجِ

فلا يُطعِمْكَ فى الغمرات وِردى فإنّى ربّةُ الملحِ الأجاجِ

فإن تُركَدْ بغِمدك لا تخفْنى وإن تَهجُم علىّ فغيرُ ناجى

»Nonne audivisti, gladios a me confici atque hastarum cuspides summas et imas irrideri,

»Neque inficere clavos meos fucum vino mero similem [1])?

»Defendo a canitie mea (sc. a superficie mea candida) rubram pectoris tincturam (sc. sanguinem), non fucum pulveris [2]).

»Num narratum est tibi de clavo meo, quomodo capiti aciei prominentis plagas manifestas inflixerit [3])?

»Hastarum mucronibus [4]) prae dolore voces eliciebat eis similes, quas aves gaudio exsultantes edere solent.

---

[1]) Ludit in duplici قتير vocis intellectu, nam simul clavorum in loricis capita significat, quae sanguine tincta esse negat, simul canos capillos, quos tinctura rubra Arabes solebant imbuere.

[2]) Sanguinem viri, qui me gestat, effundi [illegible] sino, pulvere autem in praelio excitato quominus obruar impedire non possum.

[3]) Hic etiam nugatur in sensu verborum ambiguo, quibus si vulgarem significationem tribueris, vertes: chamaeleon capiti onagri vulnera impegit. Ad haec Tebrizius: العير الناتى فى وسط السيف.

[4]) ثعلب, vulgo vulpes, est etiam ima cuspidis pars, quae hastili infixa est.

»Lacus (sum)[1]) in quo cuspides coaxant, ut ranae coaxare solent, quum nox caliginosa est;

»Piscina, cuius ampli fluctus non desinunt per noctes atras luminis vice fungi.

»Non licet effundi sanguinem bellatoris, qui, dum in pulverem (praelii) se immittit, ad me perfugit.

»Indumentum tenue velut membrana foetus resecat funes lethi ab eo (sc. ne eis irretiatur.).

»Ne te alliciat potatio ex profundis meis, nam salsa mihi est aqua et amara.

»Si in vagina quieveris, ne me time; si in me irrueris, non salvus evades.«

Ea, de quibus dixi, carmina omnia quo ordine in Diwano disposita sint, equidem non plene perspexi; nam neque ex homoeoteleuto ad seriem litterarum, ut plerumque fieri solet, neque ad rationem generum digesta sunt, et, licet in universum ad temporum rationem, quibus quaeque scripta sunt, ita disposita esse videantur, ut, quae Halebi composuerit, ea primum locum, quae deinde Maarrae, secundum, quae Bagdadi tertium, quae Maarrae post reditum, quartum obtineant, multa tamen huic ordini repugnant, nam, ut carmina d i r i i a t inscripta omittam, quae, etsi uno tempore omnia scripta fuisse non verisimile sit, tamen communis argumenti causa in unam partem congesta sunt, poemata quaedam, quae adolescentem Abul-Alam composuisse vel ex inscriptione قال في صباه manifestum est, circa mediam demum libri partem redduntur. Alia autem ex argumenti potius quam temporis ratione coniuncta esse videntur, ut elegiae quin-

---

[1]) Loricae propter fulgorem cum piscinis crebro comparantur, qualia multa iam in Hamasa exempla exstant.

que (carm. XLI. XLII. XLIII. XLIV. XLV.) et epigrammata quattuor (carm. XX. XXI. XXII. XXIII.).

Etiam de commentariis Sict-ezzendi paucis agendum est. Abul-Alam ipsum in Diwanum suum commentarium ضو السقط inscriptum dictasse iam pridem notum est; quamquam aliquantum erroris in hac re videtur inter nos irrepsisse; nam et Reiskius (Abulf. III. Not. ad pag. 369. Taraf. Moallak. p. 8) et Sylv. de Sacy in Chrestomathia Tebrizio autumant commentarium illum Abul-Alam dictasse. Aliter autem rem se habuisse ex ipsius Tebrizii praefatione (Cod. 472) manifestum est, qui narrat, Abul-Alam poemata quae iuvenis composuisset nonnisi invito et repugnanti animo secum legisse et suasisse sibi, ut eos potius libros tractaret gravioris argumenti, quos aetate provectior conscripsisset. Postquam autem ipse Cairam esset profectus, alii cuidam omnibus precibus oranti, ut Diwanum sibi interpretaretur, diu reluctatum annuisse tandem Abul-Alam atque commentarium dictasse, quem Dhau-essict inscribi iusserit. Qui autem quum mancus esset (quippe carmina diriiat inscripta non complectebatur) et multa obscure dicta aut omnino omitteret aut parum dilucidaret, pleniorem Tebrizius scribere suscepit, in quem quidem priorem illum assumsit, plurima autem suo Marte adiecit; hunc a Tebrizio شرح سقط الزند inscriptum codex (472) exhibet. Eadem fere ac Tebrizius ipse Abul-Ala in praefatione ad Dhau-essict tradit atque etiam illum, cui commentarium dictavit, nominat, sc. Abu-Abdallah Mohammedem Abdallahi filium Ispahanensem.

Abulfadhl Casem, filius Hoseini, Khowarezmensis, commentator secundus (Cod. 605), scripsit Samarcandae anno 587; idemque, licet Tebrizio aetate multo sit inferior, nonnihil tamen habet auctoritatis, quippe qui in

poesi arabica penitus versatus fuerit atque Sict-ezzendi interpretationem continua traditionis quasi catena ab ipso Abul-Ala pendenti acceperit. Commentarium inscripsit ضرام السقط في شرح السقط h. e. accensio ignis in illustrationem Sicti (puta Sict-ezzendi). Quod tamen aliter, mihi quidem aliquantum subtilius, illustrissimus Sylv. de Sacy vertit: L'amadou de l'avorton pour servir de commentaire à l'étincelle.

Commentarius tertius (Freytag. Apograph.) ille ipse est, quem de Sacy, تنوير السقط inscriptum, memorat. Auctoris nomen latet.

Caput secundum.

Postquam in superioribus varia carminum genera, quae in Abul-Alae Diwano cernuntur, breviter perstrinximus, nunc ad eam quaestionem venimus, in qua haec pars altera maxime vertitur, qualis et quanti pendenda sit Abul-Alae poesis. Atque si primum quaerimus quanta auctoritate apud populares suos floruerit, facile comperimus, magna eum Arabes doctos admiratione prosecutos esse atque summam ex eius poematibus oblectationem cepisse. Quod quum vel inde potest intelligi, quod permultis eius carmina commentariis illustrata sunt atque a scriptoribus saepissime laudantur, tum iudicia testantur, quae ab auctoribus quibusdam de eo lata sunt; quale est Taki-eddini in libro Tabakat-esschoara inscripto, qui eum vocat امام الفن وقائد زمام البلاغة و فارس ميدان الفصاحة »principem disciplinae (poeticae), rectorem habenae eloquentiae et equitem curriculi facundiae.« Atque his verbis (si modo interpretari potuero) Abulfadhl commentator

Diwanum collandat: ان ماء الفصاحة همى من مبانيه ورونق البلاغة مشى على معانيه وبهجة الصنعة صافحت بعض قوافيه مع انطوايه على كل نكتة من العلوم ولمعة هى كالسر المكتوم »Aqua facundiae defluit ex eius aedificiis (versibus), fulgor eloquentiae splendet in eius sensibus, artificii lepos illustrat aliquot eius versuum atque insuper omnes scientiarum subtilitates complectitur atque intuitus (allusiones) arcanis reconditis similes.« Nempe hic pravo aetatis illius iudicio corruptus ea ipsa Abul-Alae laudi vertit, quae nos vitia eius maxima dixerimus, artificia scilicet dicendi et allusionum abstrusarum malam captationem.

Verum apud nos etiam miror quam benevolos Abul-Ala nactus sit iudices, neque facile in animum induxerim, satis penitus cognitam atque exploratam Reiskium et Jonesium eius poesin habuisse, qui eam cum praestantissimis Aeschyli Pindari Theocritique poematibus comparare non dubitaverint (vid. Jones. Comment. Poes. Asiat. p. 63 et 297.) Haec sunt Reiskii verba in prologo ad Tarafae Moallakam pag. 8: »Abul-Ala, divinum ingenium, cui par non foret inter Arabes, nisi Aeschyleam suam poesin, ut ita dicam, parvis betis Euripidicis inspersisset, sublimis poeta alias, rarus, inquam, ille et miraculosus naturae foetus» etc. Haec citasse sufficiat. Quamquam iniurius sim famae viri clarissimi, nisi dicam, annis studiisque maturiorem prorsus aliter Reiskium de Abul-Alae eiusque aequalium poesi sensisse. (Vid. Orat. stud. ling. ar. commend. p. 261.) Illorum autem utroque modestius simul et verius illustrissimus Sylv. de Sacy iudicavit, cuius verba operae pretium est adscribere: Abou'l-Ala parait avoir pris Moténabbi pour modèle, et s'il lui ressemble par une grande connaissance de la langue arabe, on dirait aussi qu'il a pris à tâche d'enchérir sur ses hyperboles, sur la bizarrerie

de ses comparaisons et sur le mauvais goût de ses trop fréquens jeux de mots. Je crois que pour la poésie il est inférieur à Moténabbi; toutefois, je ne connais pas ses ouvrages assez à fond pour en porter un jugement assuré.

Ille igitur primus rectam viam ingressus est. Nam si Abul-Alam vere iudicare volumus, primum est non singulum pendere, sed pro ratione temporis, in quo vixit, et poetarum, qui ante eum floruerunt, considerare. Quod si fecerimus, in eam aetatem eum incidere videbimus, qua corruptum quoddam et adulterum poeseos genus inter Arabes iam coeperat irrepere. Etenim veram genuinamque poesin ipsi Arabes mature periisse existimant adeo, ut qui vel longissimam ei aetatem definiunt, tamen ultra Abu-ferasum eam producere non audeant. Nam haec apud plerosque sententia valet, poesin, quum a rege inceperit, rege quoque conclusam fuisse, quorum priorem Amrul-caisum esse volunt, alterum Abu-ferasum. Hunc autem, etsi Motenabbii aequalis fuit, tamen si spectes, quantum inter utriusque poesin intersit, longo temporis intervallo putes ab eo separatum. Nam Abu-ferasi, quantum ex paucis quibusdam, quae mihi videre contigit, speciminibus licet iudicare, sincera fuit atque infucata poesis, et ab ipso animi motu sine ullo artificio profecta. Igitur eo ipso ad poetas veteres propius accessit, quo minus eos imitari studuit. Apud Motenabbium autem, licet magna ac vivida ingenii vi valuerit, non eandem tamen sanitatem reperias; immo multa deprehendas corruptae iam poeseos indicia. Nam alias ad servilem veterum imitationem se demittit, alias, dum eos superare studet, in amentia atque absona prava temeritate decurrit, remoti magis atque inopinati quam simplicis verique studiosus. Accedunt ineptae

illae circa grammaticam aut scripturam nugae et vocum similium puerilis captatio. Huic autem si Abul-Alam contuleris, aliquantum profecto similitudinis inter utrumque cernas, sed eam in malam potius partem, et quam in vitiis magis quam in virtutibus positam esse dixeris. Nam neque idem in Abul-Ala vigor inest genuinus, et quae apud Motenabbium corrupta sunt, corruptiora etiam apud eum invenias. Abul-Ala enim, quum animo esset minus acri et ad cogitandum quam ad agendum aut sentiendum propensiori, poesin non eodem ac Motenabbius insito fervore sed doctrina instructus et tanquam disciplinam studio ac diligentia excolendam aggressus est. Eo factum est, ut arte magis quam natura valeret et, quum exempla poetarum superiorum, quibus imbutus erat quaeque sibi ad imitandum proponebat, a vita sua inter litterarum studia tranquilla placidaque omnino discreparent atque abhorrerent, ita poesis eius, ficta inter et vera quodammodo distracta, vaga et suspensa videatur neque ullos sanguinis ac vigoris animos spiret. Accessit adhuc caecitas, cuius in his aliqua ratio habenda est. Nam quum claris ac lucidis, quas visu percipimus, rerum imaginibus careret, ideoque ad aliena plerumque concepta relegatus esset, eo factum est facilius, ut ea, quae mera cogitatione persequeretur, longe a veritate in falsum atque absonum deduceret. Quum igitur poeseos orbem suis viribus parum valeret dilatare, intra eosdem fere fines se continuit, quos Motenabbius posuerat; et quum in rebus parum novi procreare posset, in forma verbisque totam operam collocavit, et, quas a veteribus acceperat, imagines artificiis variis studuit renovare. In hoc studio nescio an tota posita sit Abul-Alae poesis; inde ortae sunt superlationes illae immodicae, metaphorae modo

abstrusae ac perplexae, modo humiles et a rebus futilissimis petitae, tum pueriles illae circa verborum sonum aut sensus ambiguitatem lusiones.

Haec omnia exemplis comprobaturus ea primum adorior, quae antiquitus recepta vel a se ipso excogitata, pravo amplificandi studio, ultra omnem modum auxit et in absurdum detraxit. Eiusmodi superlationes Arabes vocant مبالغة et quum longissime a vera rerum ratione discedunt غلوّ. Quarum exempla Abul-Ala praebet propemodum innumera. Loricas annulis contextas supra iam vidimus propter mollitiam et undulatum splendorem cum aqua saepissime comparari. Iam autem Abul-Alae comparare non satis est, nisi ambo omnino inter se exaequet et, quidquid illius proprium sit, continuo huic quoque tribuat:

Metr. Tawil.

ومنكل فرسان الوغى كلّ نثرة   يودّ خليج راكد لو يكونها

اذا أُلقيت فى الأرض وهى مفازة   الى الماء خلت الارض يجرى معينها

وتبغى على القاع السوىّ تثبّتا   فيمنعها من أن تثبّت لينها

وما برحت فى ساحة السهل يرتمى   بها موجها حتى نهتها حزونها

غدير وشته الريح وشية صانع   فلم يتغيّر حين دام سكونها

كانّ الدبا غرقى بها غير أعين   اذا ردّ فيها ناظر يستبينها

وما حيوان البرّ ذيبها بسالم   اذا لم يغثها سيفها او سفينها

وتصغى وتزنى كلّ خلق لعلّها   تنقّ ضفاديها ويلعب نونها

»Equites in praelio loricis spoliat, quibus fretum tranquillum cupiat simile esse,

»Quae si proiiciuntur in terram aqua carentem, rivulos in ea fluere putes.

»In solo plano consistere velint; sed quominus consistant, mollitia vetat,

»Neque desinunt per tractus planitiei fluctibus suis agitari, donec asperitatibus terrae inhibentur.

»Piscinam putes vento, artificis more, variegatam; quiescente autem vento vel diu, non immutatur.

»Locustas credas in eis immersas esse praeter oculos, quos visus cernet, si diligenter intentus erit [1]).

»Neque animalia terrestria in eis salva sint, nisi littore aut navibus serventur.

—»Atque unumquemque inducunt (loricae), ut auscultet et intueatur, nonne forte coaxent in eis ranae aut ludant pisces.«

Neque minus insanis hyperbolis pulverem ungulis equorum excitatum describit. Nam quum Motenabbius (de Sac. Chrestom. III, 27.) adeo densum eum finxisset, ut aquilae volantes in eo caespitarent, noster, hoc parum contentus, vultures vult in eo ova ponere:

Metr. Camel.

وبَنَتْ حَوافِرُها قَتامًا ساطِعًا لو لا ٱنقِبادُ عِداكَ لم يتَهَدَّمِ

باضَ النُسورُ به وخَيَّمَ مُصْعِدًا حتى تَرَعْرَعَ فيه فرخُ القَشْعَمِ

وسَمَا الى حَوْضِ الغَمامِ فماؤه كَدِرٌ بِمُنْهالِ الغُبارِ الأَقْتَمِ

---

1) Clavorum in loricis capita Arabes cum oculis locustarum solent comparare, quale hoc poetae veteris exemplum est:

Metr. Wafer.

واحمل كل سابغة دلاص كان قتيرها حدق الجراد

»Excelsum pulveris aedificium ungulae equorum exstruxerunt, quod, nisi hostes se tibi submisissent, non dirutum fuisset.

»Vultures ova in eo posuerunt, neque prius desiit sursum ferri, donec vulturis veteris pulli in eo adoleverunt.

»Ascendit usque ad lacum nubium ita, ut incohaerenti copia pulveris nigri aqua eius turbata sit.

Nempe coeleste quoddam aquae receptaculum innuit, unde nubes putantur haurire.

Atque, quoniam haec ad res bellicas spectant, alia permulta ex eodem argumento exempla possim proferre, utpote in quo potissimum alienis videtur Abul-Ala vestigiis institisse. Sic quum *Motenabbius colla fecisset optantia, ut gladiis viri, quem cantat, pro vaginis sint*[1], *inversam imaginem, gladiorum scilicet in colla amorem*, multo fusius Abul-Ala conformavit: Metr. Wafer.

فإن عشقت صوارمك الهوادى فما عدمت بمن تهوى اتصالا

فلو لا ما بسيفك من نحول • لقلنا أظهر الكمد انتحالا

سليل النار دق ورق حتى كان أباه أورثه سلالا

»Si gladii tui cervicum amore capti sunt, non carent coniunctione cum eis, quas amant.

Gesto omnem loricam amplam laevemque, cuius clavi locustarum oculos referunt.

[1]) Bohlen. Comm. p. *67. quod ipsum ab hoc versu poetae veteris petitum videtur. Ham. p. 137. واغمادهن رووس الملوك

»Absque macie ensis tuus esset, diceremus tristitiae speciem falso eum prae se ferre.

»At ille, igne genitus, adeo gracilis atque exilis est, ut phthisin eum a patre accepisse putares.«

Scil. gladii tenuitatem vehementia amoris dicit effectam esse; voce كمد autem, quae proprie vultus ex tristitia alterationem denotat, hic obscuratum sanguine gladii fulgorem significat.

Similiter in alio loco: Metr. Monsarih.

سُيوفُه تَعْشَقُ الرِّقابَ فما يُنْجِزُ حتّى اللقاء مَوْعِدُها

يَكادُ من قبل أنّ يُجَرِّدَها يَعتنقُ الدارعين مُغْمَدُها

»Gladii eius collorum amore tenentur, neque tempus ad conveniendum cum eis constitutum sinunt praeterire, quin conveniant.

»Haud multum abest quin, antequam eos strixerit, intra vaginas adhuc haerentes, loricatos amplectantur.«

Gladii fulgor Motenabbio (Bohlen p. 43.) ignis est, qui sanguine restinguitur. Iam autem Abul-Alae hastarum cuspides ellychnia sunt lampadum, quae occisorum animis tanquam flatibus venti exstinguuntur: Metr. Tawil.

بأَيْديهِم السُّمْرُ العوالى كانّما يُشَبُّ على أطرافهنّ ذُبالُ

»In manibus eorum hastae sunt longae, quarum in mucronibus ellychnia putares accensa.« Metr. Basit.

أَفْنَى قَناتَك نَزْعٌ للنُّفوس بها كذلك النَّزْعُ يُبْلِي قُوَّةَ المَرَس

أَطْفَتْ سِنانَك أَرْواحٌ تموتُ بها هُبوبَ أرواح ليل فى سَنا قَبَس

»Hastam tuam animarum extractio attrivit, sicut funis robur extractio (situlae) conterit.

»Cuspidem tuam animae exstinxerunt, quae ea moriebantur, quemadmodum ligni flammam venti nocturni flatibus exstinguunt.«

Equi auditum Arabes collaudare solent et Motenabbius (Select. ex hist. Hal. p. 141.) tam acrem esse dixit, ut non dicta modo, sed etiam animo cogitata perciperet. Abul-Ala autem, cum illo aemulatus, iam ipsa fati decreta facit audientem; quod quidem, si timidam et pronam ad expavescendum equi naturam respicias, non tam est a vero remotum, quam primá fronte videtur:

Metr. Basit.

كأنّ أذنيه أعطت قلبه خبرًا عن السماء بما يلقى من الغير

تحسّ وطء الرزايا وهى نازلةٌ فينهب الجرى نفس الحادث المكر

»Illius equi aures credas eius cordi nuntium dare, quibus fortunae vicibus sit occursurus.

»Calamitatum dum ingruunt, incessum percipiunt, ille autem casui, qui sibi insidiatur, cursu suo vitam (vim) adimit.«

Camelorum autem in currendo levitatem vide quam miris et monstruosis descripserit imaginibus: M. Tawil.

وليست تحسّ الارض منها بوطأةٍ فتذعر سربًا او تروع صوارا

تدوس أفاحيص القطا وهو هاجدٌ وتمضى ولم تقطع عليه غرارا

»Ne unum quidem passum de eis terra sentit, nedum caprearum aut dorcadum greges terreant.

»Katarum dormientium nidos conculcant et, non interrupto eorum somno, praetereunt.«

ولو وطئت في سيرها جفن نائمٍ بأخفافها لم ينتبه من منامه

»Si dormientis palpebram in currendo ungulis prement, somno is non excitaretur.«

Tum autem, si quem heroum suorum laudibus celebrat, omnem pudorem putes eum abiecisse, adeo tumidis tum maxime atque omnem modum excedentibus utitur hyperbolis. Viri faciem saepe cum sole comparat; sed hoc parum est et a multis aliis ante eum usurpatum. Iam autem ad maiora ascendit et solem contendit de illius fronte lucem accepisse, atque prae illa fuscum esse et obscurum: Metr. Basit.

أرى جبينك هذى الشمس خالقها فقد أنارت بنور عنه منعكس

»Frontem tuam solis creator soli ostendit, isque repercussa ab ea luce splenduit.« Metr. Wafer.

اذا شمس الضحى نظرت اليه أقرّت أنّ حلّتها حداد

»Quum sol matutinus eum iutuetur, vestem suam confitetur lugubrem esse.«

Idem si forte aégrotaverit, continuo totus terrarum orbis contremiscit atque quassatur. Metr. Wafer.

شكا وتشكّت الدنيا و مادت بأهليها الغوائر والنجاد

وأرعدت القنا زمعًا وخوفًا لذلك والمهنّدة الحداد

وكيف يقرّ قلب فى ضلوع وقد رجفت لعلّته البلاد

»Ut conquestus est, totus eum querelis mundus est prosecutus atque valles montesque cum incolis eorum nutaverunt.

»Inde pavore et metu perculsae hastae contremuerunt, acutique enses.

»Quomodo quiescat cor intra costas, quum orbis terrarum eius morbo commotus sit?«

Neque minus insanit in potentia viri describenda ut in his: Metr. Wafer.

ولو أنّ الرياح تهبّ غربًا وقلت لها هلّا هبّت شمالا

وأقسم لو غضبت على ثبيرٍ لأزمع عن محلّته ارتحالا

»Si ventos a solis occasu flantes tu iuberes discedere, ilico a septentrione flarent.

»Atque hoc iuraverim, si Thabiro monti irascereris, certum ei esset loco migrare.«

Quemadmodum supra naturae leges eum modo evexit, ita fato etiam aut providentiae divinae saepius eum supersedere dicit, Motenabbii in hoc exemplum secutus (v. Bohl. 15.), ut in his: Metr. Tawil.

وطئت صروف الدهر وطأة ثائرٍ فأتلفت منها نفس ما لم تصفد

»Vices fortunae irruens conculcasti, atque alias vita orbasti, alias vinculis constrinxisti.« Metr. Wafer.

فيا ابن محمّد والمجد رزقٌ بقدرك سدت لا قدرٍ أتيحا

»O fili Mohammedis, dispensatur alias gloria (a Deo), tu autem tua ipsius vi imperas non decreto praefinito.«

Quae non tumide tantum, sed etiam, prout Mohammedani sentiunt, impie dicta esse, Akawwaki poetae exemplum testatur, qui, quum eadem licentia poetica usus divinam potentiam mortali tribuisset, eam ob causam (sive praetextus fuerit) a Mamuno Khalifa mortis damnatus est. (Ibn Khal. p. 484.).

Atque tam monstruosis interdum atque incongruis utitur hyperbolis, ut, nisi argumenti gravitas obstet, risum

eum putes captare; qualis haec est in elegia, qua iurisperitum quemdam amicum suum deflevit: Metr. Khafif.

وخطيبٌ لو قام بين وُحوشٍ علّم الضاريات برّ النقاد

»Is erat concionator, qui, si inter feras surrexisset, bestiis rapacibus persuasisset, ut ovibus benignas se praeberent.«

Et in alia elegia: Metr. Camel.

لو تقدر الخيل التي زايلتها أنحت بأيديها على الأعراف

»Quos relicuisti moriens, equi, si possent, iubas pedibus illatis divellerent.«

Atque in eadem, dum rebus sensu carentibus ultra, quam poetae ulli licet, animos tribuit, sic hastas pingit herois mortem lugentes: Metr. Camel.

ذهب الذى غدت الذوابل بعده رعش المتون كليلة الأطراف

وتعطّفت لعب الصلال من الأسى فالزجّ عند اللهذم الرعّاف

وتيقّنت أبطالها ممّا رأت ألّا تقوّمها بغمز ثقاف

»Discessit ille, cuius morte hastae factae sunt hastilibus tremulae, hebetes cuspidibus.

»Et se ipsae prae dolore, anguium more, inflexerunt adeo, ut mucrones imi cuspides cruentas attingerent.

»Quo conspecto, strenui earum gestatores compertum habuerunt, nulla se ligni correctorii adhibitione ad rectum eas revocaturos esse.«

Aliis autem locis res quasdam memorat, quae quidem vere sunt et causis naturalibus efficiuntur, quas tamen eo in miraculi naturam deflectit, quod eis, prout

argumentum aut ornatus poeticus requirit, causas prorsus alienas subiicit, ut in his: Metr. Wafer.

اذا خَفَقَتْ لمَغْرِبِها الثُرَيّا تَوَقَّتْ من أسنّته اغتيالا

»Si Pleiades sub occasum tremunt, ideo fit, quod metuunt, ne hastis illius conficiantur.«

Et in elegia quadam: Metr. Tawil.

وما كُلْفَةُ البَدْرِ المُنيرِ قديمةً و لكنّها في وَجْهِهِ أَثَرُ اللَّطْمِ

»Lunae splendentis maculae fusciores non antiquitus exstant, sed vestigia sunt plagarum in eius vultu (quibus scil. lugens se affecit).«

Alibi nubis cursum et flavos terrae flores non ille pide indicia esse vult utriusque in amicam suam amoris: Metr. Motacareb.

كأنّ الغمامَ لها عاشقٌ يُسايِرُ هَوْدَجَها أين سارا

و بالأرض من حُبِّها صُفْرةٌ فما تُنْبِتُ الارضُ الّا بَهارا

»Nubem eius amore captam putares, quae pilentum eius usquequaque comitatur.«

»Terrae autem ex ejus amore flavedo inest, neque praeter buphthalmum quidquam producit.«

Sed tempus deficiat, si omnia eiusmodi exempla exsequi velim. Opportunius erit ad aliud genus transire, quod non tam superlatione peccat, quam prava similitudinum aut inter se coniunctione, aut cum re, quae depingitur, comparatione. Exemplis utrumque fiet dilucidius. Loricam cum piscina comparari, virum autem liberalem m a r e dici, et pervulgatum est, et naturae, si Arabum modo ingenium perpendas, consentaneum. Quid autem quum aliena atque repugnantia inter se Abul-Ala com-

ponens, mare nobis ostendit piscina indutum? Num quid corruptius, num insanius dici potest? Metr. Camel.

يا لابسَ الدرعِ الذى هو تحتها بحرٌ تلفّع فى غديرٍ صافى

»O gestator loricae, qui ea tectus velut mare eras piscina limpida involutum.«

Similiter gladius fulgoris causa igni, propter undulatam quamdam ferri politi radiationem aquae solet comparari; quorum utrumque suo loco ferri potest. Vide autem, qualem ornatum ex contrariorum consociatione Abul-Ala parare studeat: Metr. Wafer.

مُقيمُ النّصلِ فى طَرَفَىْ نَقيضٍ يكون تَبايُنٌ منه اشتكالا

تَبيَّنُ فوقَهُ ضَحْضاحُ ماءٍ وتُبْصِرُ فيه للنارِ اشتعالا

»Contraria (gladius ille) in cuspide sua coniungit ita, ut, quae alias separata sunt, in eo confundantur. Cernitur super eum fluctuatio aquae atque ignem in eo flagrantem vides.«

Idem fere alio loco: Metr. Basit.

ما كنتُ أَحْسِبُ جَفْنًا قبل مَسْكَنِهِ فى الجفنِ يُطْوَى على نارٍ و لا نَهَرِ

»Non putavi, antequam gladius ille in vagina constitit, ignem et fluvium vaginam ullam in se complecti.«

Neque duobus semper figuris discrepantibus sic componendis contentus fuit; tres etiam in una eademque re eodem modo eum copulasse, exemplum ab eodem argumento petitum testabitur. Namque striatam illam atque undulatam gladii speciem cum vestigiis formicarum in arena veterrimi iam Arabum poetae comparaverunt; ut hoc Amrulcaisi versu testatum est (vid. Amrulcaisi Diwanum ed. a M. G. de Slane p. ٣٩): Metr. Camel.

ومهند عضب مضاربه في متنه كمدبة النمل

»Gladius acutus, cuius acies circa partem mediam similis est viae, qua formicae repunt.«

Et imitatus hunc Abul-Ala, sed argutius: Metr. Basit.

كان أهل قرى النمل علون قرى رمل فغادرن آثارا مخافيتنا

»Populum urbium formicarum putares in summa arena incessisse et vestigia recondita relicuisse.«

Iam autem hanc similitudinem cum superioribus aquae scil. et ignis mirum in modum componit: Metr. Basit.

ولا ظننت صغار النمل يمكنها مشى على اللج أو سعى على السعر

»Formicas exiguas non putabam in aqua ambulare posse aut in igne currere.«

Easdem formicas alibi cum fatis lethalibus confundit, quae fingit in gladiis currere. Qualia haec exempla sunt: Metr. Tawil.

كان المنايا جيش ذر عرمرم . يخذن الى الأرواح فيه مسارا

»Mortem putares numerosum esse formicarum agmen, quod in gladio illo aditum ad vitas sibi comparaverit.«

Metr. Wafer.

ودبت فوقه حمر المنايا ولكن بعد ما مسخت نمالا

»Reptaverunt in eo cruenta lethi fata, sed in formicas prius transformata.«

Liberalitatem multis Arabes similitudinibus ornant; quae, quum omnes ab aqua petitae sint, variis tamen modis inter nubes pluviam mareque effinguntur. Quum autem haec omnia usu contrita essent, eodem artificio com-

6

ponendi novitatis gratiam eis reddere Abul-Ala conatus est: Metr. Tawil.

تنازعَ فيكَ الشبهَ بحرٌ وديمةٌ ولستَ الى ما ينزعانِ بمائلِ

اذا قيلَ بحرٌ فهو مِلحٌ مُكدَّرٌ وانتَ نميرُ الجودِ عذبُ الشمائلِ

ولستَ بغيثٍ فوكَ للدُّرِّ معدِنٌ ولم تُلفَ دُرًّا فى الغيوثِ الهواطلِ

»Marĕ et pluvia certant inter se de similitudine tui, tu autem, quod contendunt, non concedis.

»Num m a r e dicetur? at salsum est et turbidum, tu autem beneficentia salutaris, dulcis moribus.

»Neque pluvia es; nam margaritarum (sc. versuum) os tuum sedes est, in pluviis autem manantibus margaritas non reperias.«

Hoc autem iam alterum, de quo dixi, genus attingit, quod quidem priori proximum est neque eo, ut arbitror, minus corruptum. Fit enim, quum rem quamdam, quae certae cuidam alii solet comparari, cum eadem quidem poeta componit, (quod metaphora plerumque efficitur), non autem ea mente, ut similitudinem ostendat, sed ut discrimen quoddam inter utramque declaret. Quale hoc est Motenabbii de amica (vid. Nufhut-ool-Yumun, p. 303. Juinboll. v. 4.): Metr. Khafif.

عَمْرَكَ اللهُ هل رأيتَ بُدورًا قبلها فى بَراقعٍ وعُقودِ

»Vidistine unquam, amabo te, ante illam lunas velis torquibusque instructas?«

Cui non dissimiliter Abul-Ala, dum amicam similitudine usitatissima cum dorcadibus comparat, ornamenta eam gerere miratur, quum illae nudae sint: Metr. Camel.

زارت علیها للظلام رواق ومن النجوم قلائد ونطاق
والطوق من لبس الحمام عهدته وظباء وجرة ما لها أطواق
ومن العجائب أن حليك مثقل وعليك من سرق الحرير لفاق
وصويحباتك بالفلاة ثيابها أوبارها وحليها الأرواق

»Visit nos amica velo caliginis tecta (h. e. per tenebras) et monilibus cinguloque ornata, quae sideribus conserta putares (sc. gemmas stellarum similitudine significat).

»Torquem videram columbarum ornamentum esse, dorcadibus autem Wadjrae nullas esse torques.

»Mirum est, te mundum gravem et vestem sericam duplicem gerere,

»Dum amiculis tuis in deserto pili sunt pro vestibus et pro ornamentis cornua.«

Exercitum numerosum Bohtorius (Select. ex hist. Hal. p. 155) nec primus, ut opinor, neque certe ultimus cum montibus contulit. Hanc similitudinem dum renovare atque amplificare Abul-Ala studet, hominem induxit loquentem, qui, exercitu conspecto, primum quidem terrore perculsus montes putat incedere, tum autem, audito etiam tumultu, errasse se agnoscit: Metr. Tawil.

اذا ما أخفت المرء جن مخافة وأيقن أن الارض كفة حائل
يرى نفسه في ظل سيفك واقفا وبينكما بعد المدى المتطاول
يظن ثبيرا من تفاوت لحظه ولبنان سارا في القنا والقنابل
أذا أجأ وافى يجدد عهده بنا ام تراها زورة من مواسل
وهيهات هيهات الجبال صوامت وهذا كثير النطق جم الصواهل

»Si cui terrorem inieceris, insanit prae metu et orbem terrarum pro reti venatoris habet.

»In umbra gladii tui versari se existimat, etsi longo intervallo sitis disiuncti.

»Sanirum Libanumque montes (adeo praestricti sunt eius oculi) inter hastas turmasque putat incedere.

»»Num hic Adja mons est, qui nos visum adit? an Muasili montis hic tibi videtur adventus?««

»»Apage, montes voce carent, hoc autem multas voces, multos hinnitus emittit.««

Atque eadem fere alio loco figura usus, dum amicam depingit flentem, lacrymas eis, quibus vulgo comparantur, margaritis opponit: Metr. Tawil.

تقول ظِباءُ الحزْم والدَّمعُ ناظِمٌ على عَقْدِ الوَعْساءِ عِقْدَ ضَلالِ

لقد حرَّمتْنا أثقَلَ الحَلْى أُخْتُنا فما وهبَتْ الاّ سُموطَ لآلِى

فانْ صَلَحَتْ للناظمين دُموعُنا فانتنّ منها والكَثيبُ حوالى

جهلتنّ أنّ اللولوءَ الذَّوبَ عندنا رخيصٌ وأنّ الغامدات غوالى

ولو كان حقًّا ما ظننتنّ لاغتدتْ مَسافةُ هذا البرّ سِيفَ أُوالِ

»Dum lacrymae in arena solida monilia conserebant ambigua (sc. quae lacrymisne constent an margaritis dubitares) dorcades deserti dicebant:

»Ornamenta graviora soror nostra interdixit nobis neque quidquam largita est, nisi serta margaritarum.

»(Respondit amica:) Si consertoribus monilium lacrymae nostrae aptae sint, vos ex eis sitis atque arenosi circum me colles.

»Nescitis margaritas liquidas parvi apud nos pretii esse, solidas autem magni.

»Si verum esset, quod putatis, hic terrae tractus littus esset Awali (insulae scil. in sinu Persico, apud quam margaritae conquiruntur).«

Eadem figura nonnumquam uno verbo adiecto efficitur, ut in hoc: Metr. Khafif.

اقبلوا حاملى الجداول فى الاغماد

»Accesserunt rivos (sc. gladios) in vaginis gerentes.«

Aut quum fulgur ensi atque atras nubes, de quibus pendere videtur, balteo comparat et hoc tantummodo discriminis inter hunc et verum balteum facit, quod ille non consutus est: Metr. Redjez.

مثلُ السيوفِ هزّهنّ عارضٌ والسيفُ لا يُروعُ إنْ لم يهتزّ

بَدَتْ لنا حاملةً أغمادَها حمائلٌ من الدُّجَى لم تُخرَز

»Fulgur, gladio simile, nube vibratum, (namque gladius, nisi vibretur, non terrefacit.)

»Cuius vaginam sustinentes balteos ex caligine vidimus, non consutos.«

Est etiam Abul-Alae allegoriae quoddam genus; nam res quasdam saepe ita descripsit, ut verbis translatis atque a rebus aliis petitis eas significaret Quamquam tanto in his obscuritatis studio ductus est, atque tam densas interdum eis tenebras offudit, ut aenigmata potius quam allegorias dixeris, quae nimirum, nisi ipse esset interpretatus, nemo facile intellexisset. Equidem quam minime obscura exempla proferam, quale hoc est de gladio et calamo: Metr. Tawil.

كأنّ حرامًا أن تفارق صارمًا يكون لما أضمرت أوّل فاعل
فمن صارم بالكف تحمل كلها ومن صارم تختص بعض الأنامل
فمقبض هذا السيف دون ذبابه ومقبض ذاك السيف دون الحمائل

»Nefas ducere videris gladium missum facere, qui omnium, quaecunque animo recondita tenes, exsecutor est praecipuus.

»(Neque unum, sed duo gladiorum genera volo.) Gladius enim alter tota manu prehenditur, alter aliquot tantum digitis.

»Huius prope mucronem capulus est, illius prope balteum.«

Similiter equorum nomine umbracula illa significat, quae Arabes, quum in deserto requiescere vellent, exstruere solebant, arcubus gladiisque in terram infixis atque amictibus tectorum loco superstratis: Metr. Camel.

ولقد أظلّ تظلّني وصحابتي والشمس مثل الأخزر المتشاوس
خيل شوامس في الجلال اذا هفت ريح فان ركدت فغير شوامس

»Quum sol homini limis ac nictantibus oculis spectanti similis erat (h. e. ad occasum vergebat), me solebant atque comites meos equi obumbrare, qui spirante vento turbulenti erant in stragulis, quiescente autem vento, placidi.«

Eadem figura, sed ea in longius iam diducta, usus carmen laudatorium quod ab Abu-Ibrahim Sherifo compositum regi, cui scriptum erat, nescio quo casu non erat perlatum, imagine equi generosi vinculis religati Abul-Ala designavit: Metr. Camel.

ما بالُ سابقةٍ يصلّ لجامُها أرنّتْ وعقدُ حزامها محلولُ

كالطِرف يُقلقُه المِراحُ صبابةً بالجَرْيِ وهو مُقيَّدٌ مشكولُ

حُجِبتْ فلم يرَها الذى قيدتْ له و غدتْ بآفاق البلاد تجولُ

أكذا الجيادُ اذا أرادتْ مَوردًا نضبَ الفراتُ لها او غاض النيلُ

»Quid sibi vult velox illa (casidam innuit), sonanti freno, currere gestiens, ea autem cingulo soluto[1]),

»Similis equo generoso, alacritate agitato, currendi cupido, eodemque vinculis atque compedibus constricto ?

»Aditu praeclusa est neque ab eo conspecta, ad quem ducta erat; deinde per tractus terrae vagata est.

»Sicne, quum equi bibitum eunt, exsiccatur Euphrates aut descrescit Nilus?«

Nec minore artificio cymbam, qua in Euphrate fluvio Bagdadum vectus erat, verbis atque imaginibus a camelo petitis describens, eamdem per quinque versus allegoriam continuat : Metr. Basit.

على نجاةٍ من الفرساد أيّدها ربُّ القدوم بأوصالٍ وأضلاع

تُطلى بقارٍ ولم تجرب كأنْ طُليتْ بسائلٍ من ذفارى العيس منباع

ولا تُبالي بمحْلٍ إنْ ألمّ بها ولا تهشّ لإخصابٍ وإمراع

سارتْ فزارت بنا الأنبارَ سالمةً تُزجَى وتُدفعُ فى موجٍ ودُفّاع

و الفارسيّة أدّتها الى نفرٍ طافوا بها فأناخوها بجعجاع

---

[1]) Sc. eius sellam nemo ligavit, ut eam conscenderet; eadem, si ad casidam referuntur, significant, a nemine eam recitatam esse.

„Vectus sum veloci (camelo sive cymba), ex ligno mori arboris confecta, quam membris costisque faber securi instructus muniverat.

„Pice illinebatur scabiosa licet non esset; putares illitam liquore, qui ex camelorum capite pone aures emanat[1]).

„Neque siccitatem curabat invadentem, neque herbae pabulique copia gaudebat.

„Incessit et Anbarum incolumis nos advexit, agitata et propulsa per undas et fluentum.

„Deinde Faresiia tradidit eam hominibus, qui eam circumduxerunt et in loco angusto iusserunt accumbere[2])".

Hactenus de figuris; quae quidem non in verbis sed in sensu cernuntur. Nunc ad ea venio, quae in sensu simul et verbis, aut in his solis posita sunt. Haec, si modo omnia una appellatione comprehendere licet, lusus verborum vocabimus; qui quum apud poetas veteres nonnisi perraro et quasi ultro occurrentes reperiuntur, postea, dum enervatur magis magisque poesis atque inanitati fucatum quemdam ornatum praetendere studet, maiorem in dies locum obtinent. His autem Abul-Ala poetas superiores omnes longe superavit, his detritis saepe aut humilibus sententiis novitatis stimulos addere conatus est, his

---

[1]) Camelis scabiosis pice illita mederi solebant; hemistichio altero picem, qua scapha oblita erat, comparat cum sudore nigro, qui ex tuberibus in cameli capite pone aures positis solet effluere.

[2]) Anbar et Faresiia urbes sunt ad Euphratem sitae, quarum in altera navicula, qua Abul-Ala vehebatur, a praefectis Sultani comprehensa atque retenta fuit. Huc versus ultimus alludit.

maxime popularium suorum gratiam sibi conciliavit; nostram adepturum non arbitror.

In hac rerum copia ut ordinem quemdam constituam, ea primum adorior, quae ancipiti verborum intellectu efficiuntur. Hoc genus Arabes ایهام vocant, nos amphiboliam. Fit autem, quum voces ambiguas de industria scriptor usurpat et ita componit, ut in alteram partem acceptae congruentem contextui orationis sensum praebeant, ex altera autem parte rem quamdam a sententia remotiorem significent. Qualia exempla quum in eis, quas supra attuli, allegoriis multa iam viderimus, pauca tantum insuper addam, ut haec: Metr. Khafif.

مستقي الكف من قليب زجاج بغروب اليراع ماء مداد

»Hauriebat manus eius ex puteo vitreo situlis (mucronibus) calami aquam atramenti.«

Duae insunt in voce غروب significationes, quarum altera ad eam rem, quae vere innuitur, altera ad eam spectat, a qua metaphora petita est; nam si ad atramentarium refertur, mucrones calami significat, si autem ad puteum eam retuleris, situlas intelliges.

Idem artificium in hoc versu cernitur, in quo amicam Abul-Ala alloquitur: Metr. Camel.

بالجفن بارزت القلوب وانما بالنصل يبرز كل شهم محرب

»Palpebra instructa corda invasisti, gladio armatus fortis quisque bellator hostes petit.«

Ludit enim in sensu vocis جفن ancipiti, quae nimirum, si ad puellam trahitur, palpebram significat seu h. l. vim oculorum, si autem id spectes, quod in hemistichio altero ei opponitur, vaginam gladii videtur innuere. Eius-

modi, nisi mihi et lecturis taedio sint, multa possim proferre, quae quidem, nobis licet minime arrideant, tamen, quum ex natura linguae arabicae se ultro offerre videantur, et aliquam tandem legenti imaginem praebeant, ferri quodammodo vel excusari possunt. Quid autem de eis dicam, quae tam misere sunt excogitata atque conformata, ut ex altera parte sensum praebeant contortum ac vexatum, ex altera autem aut sensu omnino careant, aut in rebus omnino alienis eisque futilissimis, a grammatica aut scriptura plerumque petitis versentur. Velut quum nomina quaedam cognationis magno cum labore in unum versum conferre studuit: Metr. Tawil.

اذا صَدَقَ الجَدُّ ٱفْتَرَى العَمُّ للفتى مكارِمَ لا تَكْرِى وإن كَذَبَ الخالُ

»Si cui fortuna fidem adhibuerit, virtutes ei vulgus mentitur, quae, etsi pluviae indicia (largitionum promissa) falsa evaserint, nullum capiunt detrimentum.«

Si autem vulgatam verborum significationem acceperis, avum, patruum, avunculum intelliges.

Neque minus pueriliter voces quasdam scripturae proprias hoc modo congessit: Metr. Tawil.

وحَرْفٍ كنُونٍ تحت رآءٍ ولم يكن بِدَالٍ يَؤُمُّ الرَّسْمَ غَيَّرَهُ النَّقْطُ

»Camelus emaciata, nun literae similis (sc. propter exilitatem et inflexum lassitudine dorsum), cui insidet homo pulmonem laedens [1]), non leniter propellens, qui contendit ad vestigia imbribus immutata.«

---

[1]) Sc. tam strigosa est camelus, ut in ipso pulmone scutica feriatur.

Si autem eam verbis significationem tribueris, quae prima legenti occurrit, vertes, si modo tam ineptum quid verti potuerit:

»Littera quaedam, nun litterae similis, ra litterae supposita, quae dal littera non est quaeque intendit ad scripturam puncto diacritico immutatam.«

Eis autem maxime videtur Abul-Ala delectatus fuisse, quae ad grammaticam spectant, quale hoc est: Metr. Tawil.

تَلاقٍ تَفَرَّى عَن فِراقٍ تَذُمُّهُ مَآقٍ فتكسيرُ الصحائح فى الجمعِ

»Oculi coniunctionem vituperare (lacrymis prosequi) solent, quae separationem producit; sed non aliter verborum sanorum in collectione (plurali) fractio est.«

Hi sunt termini grammaticae proprii, ii autem ita comparati, ut, si primitivam eorum significationem respicias, sensum alterum efficiant, a re non alienum. Atque duo pariter sensus innuit, sed eos arctius inter se connexos, dum in puella campestri nativam sermonis puritatem laudat: Metr. Tawil.

وفى الحَيّ أعْرابِيّةُ الأَصْلِ مَحْضَةٌ من القوم إِعْرابِيّةُ القولِ بالطَبْعِ
وقد دَرَسَتْ نَحْوَ السُرَى وهى لَبّةٌ بما كان من جَرِّ البعيرِ أَوِ الرَّفْعِ

»Est in tribu illa puella arabica genere, pura stirpe orta, cuius sermo ad leges grammaticae natura est conformatus.

»Grammaticam nullam nisi itineris nocturni tractavit et camelum habena regere aut incitare callet.“

Etiam intelligis: accusativi et nominativi perita est.

Neque in gravissimis quidem argumentis istis nugis abstinuit. Sic in elegia, quam in patris mortem scripsit, hunc habet ludum perversissimum: Metr. Tawil.

تئنّ ونصبى فى أنينك واجبٌ كما وجب النصب اعترافًا على إنّ

„Gemebas (aegrotus) et afflictio mea, te gemente, par erat, sicut إنّ particulam accusativus necessario consequitur.“

Ludit in ancipiti vocis نصب significatione, qua ex parte inest figura, quam î h â m vocant; ex altera autem, quum verbis تئن et أن compositis soni etiam similitudinem sectatus est, alterum lusus genus attigit, quod quidem eo a priori differt, quod solo verborum sono continetur atque auditu, non intellectu, percipitur. Hoc Arabes تجنيس, idem nos a l l i t e r a t i o n e m dixerimus. Efficitur, si quis verba componit literis sonoque congruentia, sensu discrepantia, ut in hoc Abul-Alae: Metr. Tawil.

وما أكثر المثنى عليك ديانة لو انّ حماما كان يثنيه من يثنى

„Quot te pii laudibus celebrabant! si modo quis laudans mortem posset depellera.“

Si omnia, quae apud Abul-Alam exstant, eiusmodi exempla proferre velim, paene totum Diwanum describam oporteat. Satis erit, si pauca quaedam ex insignioribus attulerim; quale hoc est in uno versu duplex. Sic enim camelos depingit donis onustos: Metr. Wafer.

لهـا فرحا فوق الأرض أرن ومن تحت اللجين لها لجان

»Est eis ex gaudio super solum exsultatio et sub argento (eis imposito) tardior incessus.«

Vel haec etiam, quae in hoc genere summa habentur, quum duobus verbis inter se coniunctis et uno verbo alio idem omnino sonus eadem scriptura efficitur; hoc Arabes vocant جناس متشابه, cuius haec sunt exempla: M. Tawil.

أَرَاكَ أَرَاكَ الْجِزْعِ جِفْنٌ مُهَوِّمٌ   وَبُعْدُ الْهَوَى بُعْدُ الْهَوَاءِ الْمُجَزَّعِ

»Oculus somnolentus ostendebat tibi arbores spinosas vallis, quum amica tam remota esset, quam coelum stellis distinctum.«

Quo versu praeter eam, quam notamus, duae etiam aliae continentur alliterationes.

Atque hoc: Metr. Tawil.

سَرَى حِينَ شَيْطَانُ السَّرَاحِينِ رَاقِدٌ

»Noctu iter fecit, quum vel vaferrimus luporum somno indulgebat.«

Interdum non singulis vocibus, sed compositione verborum ornatum quemdam captat, dum alteram alteri sententiam opponit, singulis utrinque verbis invicem respondentibus. Hunc مطابقة Arabes vocant, qui nobis fere parallelismus erit. Cuius hoc sit exemplum:

Metr. Basit.

بَاتَتْ عُرَى النَّوْمِ عَنْ عَيْنِى مُحَلَّلَةً   وَبَاتَ كُورِى عَلَى الْوَجْنَاءِ مَشْدُودَا

»Per totam noctem manserunt ansae somni ab oculo meo solutae, et sella mea in camelo ligata (scil. non desii vigilare et camelo vehi).«

Est etiam aliud lusus genus Abul-Alae usitatissimum, quod nominibus propriis efficitur, quum simul rei ipsius aut hominis, cuius nomen est, ratio habetur, simul significationis, quae ipsi nomini ex etymi aut soni ratione tribui potest. Quod quidem inter duo illa, de quibus supra dixi, genera medium est et utrumqne participat. Nam ad genus îhâm dictum ex hac parte prope accedit, quod duo in uno verbo sensus respiciuntur; alliteratio autem, etsi non necessario, tamen plerumque consequitur Eius-

modi lusus, quum vel non quaerenti ultro occurrant, a poetis superioribus iam pridem usurpatos fuisse, exempla non desunt, quale hoc est Bohtorii in laudem Fathi cuiusdam dictum: Metr. Sari.

وكلُّ باب للنَّدَى مُغْلَقْ فانّما مفتاحُه الفَتْحْ

»Omnes liberalitatis portae sunt occlusae, neque est clavis, qua aperiantur, ulla, nisi Fathus.«

Eiusmodi flores Abul-Ala etiam carminibus suis non est dedignatus inspergere; quod, qua arte fecerit, paucis exemplis ostendam: Metr. Tawil.

وللحَسَن الحُسْنى وإن جادَ غيرُه فذلك فعلٌ ليس بالمتعمَّدِ

»Hasani proprium est bene facere; quod si quis alius liberalem se praebet, fortuito videtur, non ex proposito, factum.« Metr. Camel.

الطاهرُ الآباء والأبناء والآراب والأثواب والأُلّاف

»(Discessit ille) purus stirpe, progenie, cupidinibus, vestibus, familiaribus.»

Scilicet illi Taher nomen erat.

Atque pariter in nominibus locorum ludit, ut in hoc: Metr. Tawil.

فليتَ سَنيرًا بان منه لصُحْبتي بروْقَىْ غزالٍ مثلُ رَوْقِ غزالِ

»Utinam de Saniro monte in Rauka-gazal tantum comites mei cernerent, quantum cornu est dorcadis.«

Quanquam nescio an hoc ad genus تجنيس dictum commodius referatur روق غزال hoc loco positum est pro قرن غزال quod est nomen loci cuiusdam ad Euphratem. Sanir mons est Syriae.

Iam autem, quaesitius ad singulas syllabas descendit:
Metr. Tawil.

بنا من هوى سعدى البخيلة كاسمها   اذا زالته عين سعدى وسينها

»Est in nobis ex avaritia Sodae (sc. immiti eius erga nos animo) quasi nomen eius, quum a i n et s i n litteris destitutum est.«

Scilicet superest دى syllaba, quae similiter sonat ac داء morbus.

Caput tertium.

Quum sit in superioribus dictum, quae carminum genera quaque arte Abul-Ala scripserit, nihil amplius superest, nisi ut ad res singulas me demittam, quas poesi solent adornare poetae arabici, atque speciminibus quibusdam prolatis studeam ostendere, quo modo unamquamque earum noster tractaverit. Quibus rebus ut ordinem quemdam inferam, eas primum exsequar, quae casida comprehendi solent, rem amatoriam, itinerum descriptionem, laudem.

Igitur r e i a m a t o r i a e primus sit locus, quae quidem apud Abul-Alam non tam magnas, quam apud caeteros solet poetas, partes obtinet. Amicam sibi campestrem et quidem genere Kilabitam[1]) plerumque finxit, cuius causa deserta sibi grata esse ait, ut in his: Metr. Tawil.

---

[1]) Kilabitarum tribus vagabatur per terras desertas Sy-

وأبغضت فيك النخل والنخل يانع　　و أعجبني من حبك الطلح و الضال
وأهوى لجراك السماوة والقطا　　و لو ان صنفيه وشاة و عذال
متى ينزل الحى الكلابى بالسًا　　تحييك عنا ظاعنون و قفال
تحية ود ما الفرات وماؤه　　بأعذب منها وهو ازرق سلسال

„Tua causa palmas odi, vel quum maturae sunt, atque propter meum in te amorem talhus arbor et lotus terrestris (quippe deserti plantae) mihi arrident.

„Tua gratia Samawam diligo Katasque aves, etiamsi duae earum species obtrectatoribus constarent et conviciatoribus.[1])

„Si quando Kilabitarum tribus in Bales consederit, dicent tibi a nobis migrantes redeuntesque salutem amoris, qua Euphratis aqua, limpida licet dulcisque sit, non est suavior."

Etiam solemnem Arabibus puellarum cum capreolis comparationem Abul-Ala saepenumero usurpavit, eam autem novis formis expressam, quale hoc est exemplum:

Metr. Basit.

كم بات حولك من ريم و جازية　　يستجديانك حسن الدل و الحور
فما وهبت الذى يعرفن من خلق　　لكن سمحت بما ينكرن من درر
و ما تركت بذات الضال عاطلة　　من الظباء ولا عار من البقر

---

riam inter et Euphratem fluvium patentes, quibus Samawa nomen est.

[1]) Duo sunt praecipua Katarum genera الكدرى et الجونى (vide de Sac. Chrestomath. II, p. 369), quarum avium has,

»Quot capreae dorcadesque per noctem te circumsteterunt, elegantiam et oculorum nigritudinem a te petentes.

»Neque eos, quos noverant, ornatus naturales eis dedisti, sed margaritas, quae sunt ab eis alienae, eis largita es.

»Neque ullam in Zat-eddhal capream ornamentis carentem aut dorcadem nudam relicuisti.«

Ad singulas corporis partes describendas non nunquam, sed raro tamen, descendit, quale hoc est de ore:

Metr. Tawil.

بأشنب معطار الغزيرة مقسم   لسائفه أن القسيمة متفال

»Ore frigido ac fragranti (praedita), quo inducitur, quicunque id odoratus erit, ut thecam unguentariam iuret prae eo parum suave olere.«

Et de venusto oculorum languore: Metr. Basit.

ويا أسيرة حجليها. أرى سفها   حمل الحلي بمن أعيا عن النظر

»O captiva compedum suarum[1])! ineptum censeo ornamenta eam gerere, quae obtutum sustinere non valet.»

Iam autem in voce ambigua pueriliter ludens, oculi brachiique uno verbo laudes comprehendit: Metr. Tawil.

---

rauca et obscura voce praeditas, cum obtrectatoribus, illas autem propter acutos clarosque clamores cum conviciatoribus Abul-Ala comparat.

[1]) Hoc putat Tebrizius pinguedinem crurum significari, quae, quum pedum annulos omnino compleant, tanquam vinculis constricta videantur.

معانيك شتّى والعبارة واحد فطرفك مغتال وزندك مغتال

»Est in te sensuum diversorum una enunciatio; obtutus tuus perdit (virorum animos), brachium autem succi plenum est.«

Multa etiam habet de puellae duro atque inflexibili erga se animo et sua in amore miseria atque constantia; ut haec: Metr. Camel.

يا غرّة الحيّ الكثير شياته ما تامرين بمدنف متماثل

لاقاك في العام الذي ولّى فلم يسألك الا قبلة في القابل

انّ البخيل اذا يمدّ له المدى في الجود هان عليه وعد السائل

„O nota alba tribus, cui multae sunt notae[1]), quidnam iubes fieri de homine morbo afflicto morti propinquo (sc. ex amore);

„Qui te anno superiore convenit, neque quicquam a te petiit, nisi osculum in postero?

„Avarus etiam, si producitur ei mora donandi, facile roganti pollicetur."

Et alio loco: Metr. Camel.

لقد ذكرتك يا أمامة

فنسيت ما كلّفتني وطالما كلّفتني ما أضرّني تكليفه

وهواك عندي كالغناء لأنّه حسن لديّ ثقيله وخفيفه

„Tui recordatus sum o Omama et oblitus sum earum, quas mihi imposuisti, molestiarum, quamquam iamdudum ea mihi imposuisti, quae imposita mihi damno fuerunt.

---

[1]) Haec est metaphora a notis equi petita.

„Sed amor tuus est mihi velut cantus, quippe in quo tam gravia quam levia mihi grata sunt [1]).«

Iam autem quae sint sibi, absente amica, doloris levamenta, non iniucunde his verbis declarat: Metr. Camel.

كم قُبلةٍ لكِ فى الضمائرِ لم أَخَفْ فيها لِحسابٍ لِأنّها لم تُكتَبِ
ومُنًى خلوتُ بكِ من أَجلكِ لم أَرَعْ فيها بطَلْعةِ عاذلٍ من مَرْقَبِ
ورسولِ أَحلامٍ اليكِ بعثتُه فأَتى على يأْسٍ بِمَنْجَحِ المَطْلَبِ

„Quot suavia tibi in animo dedi! quae ne computentur, non vereor, quoniam (in libro peccatorum) non inscripta sunt.

„Quot votis te expetivi! quae quum solus mecum agitaverim, non timeo, ne obiurgator e specula prodeat.

„Quot legatos in somniis ad te misi! qui desperanti mihi prosperum petiti exitum renuntiaverunt.“

Atque his proxima est poetica illa de imagine amicae fictio, qua poetae veteres multis modis ingeniose usi sunt, ut ille, qui miratur, quo modo in carcerem, in quem inclusus erat, phantasma illud, occlusis portis potuerit penetrare (vid. Hamas. p. 22, porro p. 152 et 183 atque Dibili versus apud Ibn. Khall. ed. Wüstenf. VII. 127.). Hunc imitatus Abul-Ala, licet artificiosius, mirum sibi esse ait, amicae imaginem se in navicula, qua veheretur, visum adiisse, quin vestes amnem traiiciens madefecerit:

---

[1]) خفيف et ثقيل termini musicae proprii diversa designant cantus intervalla, quorum septem numerantur: الثقيل الاول وخفيفه والثقيل الثانى وخفيفه والرمل وخفيفه والهزج وحده.

Metr. Tawil.

صَحِبْتِ كَرانا والرِكابُ سفائنٌ كعادكِ فينا والركائبُ أجْمالُ

اعمْتِ الينا ام فِعالَ ابنِ مَرْيَمٍ فَعَلْتِ وهل يُعْطَى النُبوّةَ مِكْسالُ

عَجِبْتُ وقد حُزْتِ الصَراةَ رِفْلَةً وما خَضِلَتْ ممّا تَسَرْبَلْتِ أذيالُ

„Dormientibus nobis comitem te praebuisti, quum naves nobis pro iumentis erant, quemadmodum solebas, quum camelis vehebamur.

„Num natavisti ad nos, an Mariae filium imitata es? (sc. in aqua incedens.) Molline puellae prophetale munus mandetur?

„Mirabar, syrmata trahentem te Saram fluvium transmeasse, neque lacinias vestimenti, quod indueras, madefactas fuisse.“

Eamdem imaginem a se, quoque eat, negat unquam discedere: Metr. Basit.

ما سِرْتُ إلّا وطَيْفٌ منكِ يَصْحَبُني سُرًى أمامي وتأويبًا على أثَرِي.

لو حَطَّ رَحْلي فوقَ النجمِ رافِعُهُ أَلْفَيْتُ ثَمَّ خيالاً منكِ مُنْتَظِرِي.

»Nunquam iter facio, ut comes non adsit imago tua, prae me noctu, interdiu pone me.

»Si supra sidera sellam meam collocaret, qui eam (iumento) imponit, ibi etiam phantasma tuum me exspectans invenirem.«

Multiplici ratione imaginem illam in ornatum poeticum Abul-Ala conformavit, ut in casida prima, quum equum suum finxit, dum ipse dormiret, phantasma sensisse atque zelotypia sollicitum, ne propius accederet, hinnitu deter-

ruisse. In alio loco amicae imaginem, quum se non visisset, propter magnam locorum distantiam excusat:

Metr. Camel.

وسألت كم بين العقيق الى الغضا فجزعت من أمد النوى المتطاول

وعذرت طيفك في الجفاء لأنه يسري فيصبح دوننا بمراحل

جهل بمثلك أن يزور بلادنا يختال بين أساور وخلاخل

أوما رأيت الليل يلقي شهبه حتى يجاوزها بحلة عاطل

»Rogavi, quanto Akik a valle gadharum (arborum) distaret [1]), atque expavi propter magnum intervallum,

»Et imaginem tuam excusavi de sua in nos iniuria, quoniam, si per totam noctem iter faceret, mane complurium adhuc dierum iter a nobis distaret.

»Imprudens sit, tui similem, inter armillas et pedum annulos superbo incedentem, terras nostras visere.

»An non vides noctem, donec eas pervaserit, amictu inornato stellas eius tegere [2])?«

Sed huius generis hactenus satis multa protuli. Igitur transeo ad argumentum alterum, itineris descriptionem; qua appellatione nolim induci quemquam, ut id descriptionis genus apud Abul-Alam putet reperiri, quo fit, ut certorum quorumdam locorum imagines clare atque evidenter oculis mentis quodammodo ostendantur. Quod, quum a poetis Arabicis utique, ut arbitror, alienum sit,

---

[1]) Sc. locus, in quo consedi, ab eo, quo amica commoratur. Nomina sunt ad arbitrium electa atque ad imitationem poetarum veterum conformata.

[2]) His tractuum illorum horrorem significat.

huic nostro, maxime caeco, abfuisse, nemo erit, qui miretur. Nam, quae de regionibus habet, quas perlustravit aut perlustrasse se fingit, ea tam sunt obscura et suspensa, ut a veritate procul seiuncta videantur. Quum autem ad certas quasdam res describendas, ut noctem, iumenta et alias, propius accedit, non ita describit, ut declaratis omnibus vel praecipuis rei attributis clara ac vera totius rei imago efficiatur, sed ita potius, ut, quodcumque vehementius animum perculerit attributum, id solum cogitatione prosequens atque amplificans ad extrema perducat. Verum hoc non tam est huius argumenti proprium, quam omnium commune. Quibus autem in hoc imaginibus potissimum usus sit, exemplis selectis pergamus ostendere.

Primum autem loca describit Arabum veterum more semper vasta et deserta, horroris plena, periculis atrocia, ut in his: Metr. Tawil.

بخرق يطيل الجنح فيه سجوده   وللارض زي الراهب المتعبد
ولو نشدت نعشا هناك بناته   لماتت ولم تسمع له صوت منشد
وتكتم فيه العاصفات نفوسها   ولو عصفت بالنبت لم يتأود
ولم ينبت القطبان فيه تحيرا   وما ذاك الا وقفة عن تبلد

» . . . . . In vastitudine, in qua nox diu prostrata manet, terrae autem ornatus est (niger) monachi precantis [1]).

---

[1]) His depingit tenebrarum in terra illa diuturnitatem, atque terrorem, quo ipsa nox et terra perculsae videntur. Similiter alibi noctem Deo facit supplicantem, ut missa aurora se sinat discedere: والليل يدعو بضو الصبح خالقه ابتهالا

»Si filiae feretri[1]) ibi feretrum amissum quaererent, ante morerentur, quam cuiusquam vocem audirent indicantis, ubi sit.

»Venti in ea terra se ipsi abdunt et plantas, si in eas flarent, ne inflecterent quidem (adeo metu sunt enervati).

»Neque lubenter poli in ea commorantur, sed tantum propter virium defectionem consistunt[2]).«

Pariter de nocte permulta habet, imaginibus non minus audacia, sed ea pravis lusibus a siderum nominibus petitis plerumque foeda qualia haec sunt: Metr. Basit.

وليلةٍ سِرْتُ فيها وَٱبْنُ مُزْنَتِها كَمَيِّتٍ عاد حيًّا بعد ما قُبِضا

كانّما هِىَ اذ لاحَتْ كواكبُه خَوْدٌ من الزَّنْج تُجْلَى وُشِّحَتْ خَضَضا

كانّما النَّسْرُ مقصوصٌ قوادمُه فالضَّعْفُ يَكْسِر منه كلّما نَهَضا

والبدر يَحْتَثُّ نَحْوَ الغرب أَيْنُقَهُ فكلّما خاف من شمس الضُّحَى رَكَضا

»Saepe iter feci per noctem, in qua nubis filius[3]) ei similis erat, qui, postquam morte ereptus est, ad vitam revocatur.

---

[1]) Hoc nomine tres stellas ursae maioris Arabes notant, quae aliis sunt ursae caput collumque, alii temo currus; caeteras quatuor feretrum vocant. Hoc autem Abul-Ala significare vult, quam sit nox caliginosa.

[2]) Vocis تبلد significationem, quoniam in lexicis parum est declarata, ex Tebrizii commentario proferam: التبلد ان يعجز الانسان عما يريده فلا يبرح عن مكانه للعجز عن بلوغ المراد

[3]) Lunam significat e nube, qua occultabatur, prodeuntem.

»Stellis fulgens (nox) puellam Aethiopicam referebat, cingulo ex conchis albis ornatam, a qua velamen removetur [1]..

»Putares aquilae (coelestis) pennas praecisas esse, eamque quotiescunque enitatur fractis viribus collabi [2]).

»Luna autem excitabat occasum versus camelos suos et quotiescunque solem matutinum reformidabat cursum properabat.«

Auroram autem Abul-Ala noctis canitiem vocare solet et rutilantem eius colorem canitiei tincturam; quippe canos capillos fuco rubro Arabes solebant inficere:

Metr. Motacareb.

أَقُولُ وقد طَالَ ليلى علىَّ أَمَا لشَبابِ الدُّجَى من مَشِيبِ

»Noctis diuturnitatem aegre ferens dicebam: Nullane erit adolescentiae caliginis canities?« Metr. Khafif.

---

[1]) Haec similitudo singulariter Abul-Alae videtur arrisisse atque pluries in Diwano repetita est, ut in hoc versu:

Metr. Khafif.

ليلتى هذه عروس من الزنج عليها قلائد من جمان

»Haec nox similis est sponsae Aethiopicae monilia gerenti margaritis (sive bullis argentatis) conserta.«

Similiter Ibn-Hani: Metr. Tawil.

كانّ ضياء الصبح خاقان معشر من الترك نادى بالنجاشىّ فاستخفى

»Aurorae lucem imperatorem putes esse Turcarum, qui Aethiopum regem vocet, hunc autem sese abdere.«

[2]) Quod nos aquilae dicimus sidus, id Arabes vulturem volantem vocant; quem Abul-Ala fingit praecisis alis amplius volare non posse, scil. noctis longitudinem pingit, qua sidera locis non moveantur.

ثمّ شابَ الدُّجى وخاف من الهجر فغطّى المشيبَ بالزَّعفرانِ

»Deinde nox incanuit et discessum verita canitiem croco infecit.«

Eiusmodi descriptiones plerumque querelae excipiunt de eius ex itinere continuo molestiis. Sic in his versibus se et comites suos lassitudine atque somno oppressos depingit: Metr. Camel.

بِتْنا فريقٌ في سُروجِ ضَوامرٍ منّا وآخَرُ في رِحالِ عرامسِ

سَلَبَ الكَرَى أَلبابَ من ذاقَ الكرى منّا وطار ببعض لُبّ الناعسِ

فالمرء يلثَمُ سيفَه وقِرابَه ويظنّه وَجَناتِ أَغْيَدَ مائسِ

حيث انشمالُ عن العنان ضعيفةٌ والسوطُ يسقُط من يمين الفارسِ

»Noctem egimus alii in ephippiis equorum gracilium, alii in sellis camelorum robustarum,

»Somnus eripuit sensum eius, qui somno indulsit, et dormitanti partem sensus abstulit;

»Et vir quisque osculabatur ensem suum ensisque thecam atque pro genis puellae gracilis, nutanti incessu praeditae, eum habebat.

»Adeo ut manus sinistra debilior fieret, quam ut habenam teneret, et de dextra equitis flagellum elaberetur.«

Praecipuum autem in eiusmodi descriptionibus locum Abul-Ala, veterum in hac re exempla secutus, camelis impertitus est. Quod solet robustos pingere, magnos montium instar, impigros et diuturno licet itinere fatigatos, acres tamen ac patientes laborum; alias autem, excursionibus continuis adeo macilentos atque strigosos, ut per foramen acus possint transire, et animae corporibus destitutae esse videantur, ut in hoc: Metr. Wafer.

فجاءك كلّها بالروح فردًا وقد سرنا بها جسدا وروحا

Haec autem omnium fere poetarum Arabicorum sunt communia. Notatione dignius videtur, quod animalibus ratione carentibus intelligentiam quamdam et animos patriae memores, quin ipsam loquendi facultatem saepe tribuit atque, si nullus forte comes adest, cum camelis nonnunquam confabulatur. Hoc enim genus, a caeteris poetis vel antiquissimis licet non alienum, peculiari tamen amore Abul-Ala videtur esse prosecutus. Cuius haec sint specimina:

Metr. Tawil.

لقد زارني طَيْف الخَيال فهاجني فهل زار هذي الإبْل طيف خيالِ

لعلّ كَراها قد أراها جِذابَها ذوائبَ طَلْحٍ بالعقيق وضالِ

ومَسْرَحَها في ظِلِّ أَحْوَى كأنّها اذا أظْهرتْ فيه ذوات حِجالِ

خلَمْنا بأسْنانِ الكُهولِ وهذه شوارِقُ تَزْهاها حُلومُ إفالِ

»Me visit amicae phantasma atque commovit; num hisce camelis phantasma quoddam apparuit?

»Ostendit eis fortasse somnus tempus illud, quum talhi (arboris) et loti terrestris in Akik valle frondes propendulas decerpebant,

»Et libere pascebant in umbra arborum opacarum, ubi quum sub meridiem versabantur, velis obumbratas (mulieres) referebant.

»Nos annis maturi sapimus; hi vero natu grandes somniis parvulorum commoventur.«

Eosdem, quum desiderio patriae commoti gemitus edunt, carmina dicit recitare: Metr. Tawil.

تَلَوْنَ زَبُورًا فى الحَنِينِ مُنَزَّلًا عليهنّ فيه الصبرُ غيرُ حَلالِ

وأَنْشَدْنَ من شِعرِ المطايا قصيدةً وأَوْدَعْنَهَا فى الشوقِ كلَّ مَقالِ

أَمِنْ قِيلِ عَوْدٍ رازمٍ ام رِوايةٍ أَتَتْهُنَّ من عَمٍّ لهنّ وخالِ

»Decantant psalmos de desiderio sibi revelatos, per quos patientia uti non licet,

»Et de poesi iumentorum carmen recitant, in quod omnes cupidinis enuntiationes congesserunt.

„Num a camelo veteri macie confecto conditum est, an a patruo quodam aut avunculo traditum acceperunt?«

Huc cisternarum quoque seu aquariorum descriptio referenda est, quae, ut in Arabum vita maximi erant momenti, ita a poetis frequenter celebrantur. Haec Abul-Ala nonnunquam, inversa illa, quam supra vidimus, comparatione, gladii imagine illustravit atque muscum aquaticum, quo obductae esse solent, simili ratione cum rubigine gladii comparavit. Aliarum, quibus in hac re uti solet, imaginum hoc erit specimen: Metr. Tawil.

تَظُنُّ به ذَوْبَ اللُّجَيْنِ فإنْ بَدَتْ لهُ الشمسُ أَجْرَتْ فوقهُ ذَوْبَ عَسْجَدِ

تَبِيتُ النجومُ الزُّهْرُ فى حَجَراتهِ شَوارِعَ مِثْلَ اللُّؤلؤِ المُتَبَدِّدِ

فأَطْمَعْنَ فى أَشباحهنّ سَواقِطًا على الماءِ حتى كِدْنَ يُلْقَطْنَ باليَدِ

فمَدَّتْ الى مِثْلِ السماءِ رِقابَها وعَبَّتْ قليلًا بين نَسْرٍ وفَرْقَدِ

„In eo (aquario) argentum liquidum putares inesse; sol autem, si apparuerit, efficit, ut aurum in eo fluitet.

„Stellae lucidae pernoctant in eius lateribus immersae, margaritis dispersis similes.

„In aqua deciduae desiderium sui iniecerunt spectantibus nec multum abfuit, quin manu legerentur.

„Cameli porrexerunt colla ad coelum alterum et aliquantulum biberunt aquilam inter et polare sidus.«

Argumentum tertium, quod est de l a u d e, quum nonnullis exemplis supra illustraverim, hic paucis absolvam. Atque, quum duobus fere partibus apud Arabes constet, quarum altera ad liberalitatem, altera ad virtutem militarem spectat, priorem prius adoriar. Quam in universum notandum est ab eis semper diligentissime excultam fuisse, qui liberalitatem suae utilitatis gratia maxime sollicitarent. Abul-Alam autem, virum generosi atque erecti animi et istis lenociniis atque parasitationibus longe supersedentem, non mirandum est perquam pauca in hoc genere habere. Qualia haec sunt: Metr. Tawil.

وَمَهْمَا يَكُنْ يَحْسَبْهُ حَثًّا عَلَى النَّدَى   فَيَغْدُو عَلَى أَمْوَالِهِ بِالْغَوَائِلِ

فَمَا نَاحَ قُمْرِيٌّ وَلَا هَبَّ عَاصِفٌ   مِنَ الرِّيحِ إِلَّا خَالَهُ صَوْتَ سَائِلِ

»Omnia quaecunque acciderint, incitamenta putat ad liberalitatem et opes suas properat exitio dare,

»Neque ullus gemit turtur, ullus spirat ventus, quin rogantis vocem sibi audire videatur.«

Atque solitas a pluvia petitas imagines vide quo modo conformaverit: Metr. Basit.

القَاتِلُ المَحْلَ اذْ تَبْدُو السَّمَاءُ لَنَا   كَأَنَّهَا مِنْ نَجِيعِ الجَدْبِ فِي أُزُرِ

وَقَاسِمُ الجُودِ فِي عَالٍ وَمُنْخَفِضٍ   كَقِسْمَةِ الغَيْثِ بَيْنَ النَّجْمِ وَالشَّجَرِ

»Ille inopiam interimit, quum coelum zonis ex sanguine penuriae cinctum nobis apparet[1]).

---

[1]) Scilicet in annis siccitate laborantibus ruber quidam

»Atque dona distribuit in summos et infimos, sicut inter plantas et arbores pluvia dispensatur.«

Tum illas etiam de ignibus in summis collibus accensis et ollis in hospitium paratis antiquas imagines, quae quidem priscis poetis ex ipsa vitae ratione succurrebant, Abul-Ala, suae aetati licet repugnantes, tamen ad veterum exemplum interim usurpavit. Quale hoc est exemplum : Metr. Camel.

وقدورهم مثل الهضاب روافدا وجفانهم كرحيبة الانياف

»Eorum ollae sunt montium instar stabiles atque patinae eorum tam amplae, quam vastae planities.«

In parte altera, quum Motenabbii, qui rerum bellicarum descriptione praesertim valuit, exemplis Abul-Ala maxime esset imbutus, multo fuit, quam in priori, uberior. Bellicum herois sui ardorem quibus laudibus soleat efferre, ex his versibus licet perspicere: Metr. Wafer.

رايتك ساخطا ما جاء عفوا ولو جادتك بالذهب العهاد

فما تعتد مالا غير مال جباك به طعان او جلاد

ألفت الحرب حتى قال قوم أما لصلاح بينكما فساد

تموت الدرع دونك حتف أنف وتبلى فوق عاتقك النجاد

»Te video omnia aversantem, quaecunque placide tibi contigerint, etiamsi aurum tibi pluviae largirentur;

---

vapor circa horizontem solet exoriri, quem Abul-Ala fingit vestigium esse occisae a viro illo caritatis (sc. eius largitionibus sublatae).

»Neque quidquam divitiarum loco habes, nisi quod hasta aut gladio tibi paraveris.

»Bello consuevisti adeo, ut homines rogarent, nullane tandem futura esset concordiae vestrae alienatio.

»Lorica exstinguitur in te sua morte (sc. usu continuo trita), atque in collo tuo balteus conteritur.«

Iam autem de inculta ac feroci ducis cuiusdam Arabum horridius paulo: Metr. Wafer.

فَتًى يَهَبُ اللُّجَيْنَ المَحْضَ جُودًا وَيَدَّخِرُ الحَدِيدَ لَهُ عَتَادَا

وَيَلْبَسُ مِن جُلُودِ عِدَاهُ سِبْتًا وَيَرْفَعُ مِن رُؤُوسِهِمِ النِّضَادَا

أَبَنَّ الغَزْوَ مُكْتَهِلًا وَبَدْرًا وَعُوِّدَ أَنْ يَسُودَ وَلَا يُسَادَا

جَهُولٌ بِالمَنَاسِكِ لَيْسَ يَدْرِي أَغَيًّا بَاتَ يَفْعَلُ أَمْ رَشَادَا

طَمُوحُ السَّيْفِ لَا يَخْشَى إِلٰهًا وَلَا يَرْجُو القِيَامَةَ وَالمَعَادَا

»Ille vir est, qui argentum purum liberaliter largitur, ferrum sibi in apparatum bellicum accumulat.

»Ex hostium cute coria induit et eorum capitibus acervos struit.

»Bella adolescens et aetate media[1]) indesinenter gessit et imperare assuevit, non imperium pati.

»Sacrorum ignarus nescit, impie per noctes faciat, an probe.

»Gladio ferociens numen veretur nullum, resurrectionem diemque novissimam non reformidat.«

Et alio loco: Metr. Monsarih.

---

[1]) مكتهل dicitur, monente Tebrizio, qui annos fere octo et viginti vel triginta natus est.

مَن ارتعت خيلُه الرياضَ بها وكان حوضَ الصفاء موردُها

ففي نبات الرؤوس تسرحها انت وماءَ الجسوم توردُها

»Aliorum equi per prata virentia in eis (terris) pabulantur et ex aquario limpido hauriunt.

»Tu tuis herbas capitum (h. e. capita pro herbis) depascendas permittis, et ad aquam corporum (sanguinem) bibitum ducis.«

Plerumque autem viri fortitudinem non tam aperte declarat, quam, descriptis eis, quae ea efficiuntur, circuitione quadam significat; velut quum mortem pingit eius armis inhaerentem: Metr. Tawil.

تظلُّ المنايا في سيوفك شُرَّعا اذا النقعُ من تحت السنابك ثارا

فانْ عُدَّ ضحضاحَ الحمام صوارمٌ عددن بحورًا للردى وغمارا

»Lethum non desinit gladios tuos ingredi, dum equorum ungulis pulvis excitatur,

»Atque si gladii alii mortis rivuli reputantur, tui maria sunt exitii atque voragines.«

Aut metum hostibus, quin ipsis hostium armis, incussum: Metr. Wafer.

ويُضحي والحديدُ عليه شاكٍ وتكفيه مهابتُه النزالا

»Prodiit ferro horridus, sed tantus est ab eo metus, ut pugnare ei non opus sit [1]).« Metr. Tawil.

---

[1]) Hunc Motenabbii versum videtur Abul-Ala imitatus esse (vid. Nufhut-ool-Yumun p. 547): Metr. Basit.

قد نابَ عنك شديدُ الخوف واصطنعتْ لك المهابةُ ما لا تصنعُ البُهَمُ

تهيّبك على أكتاف أبطالها القنا وهابتك في أغمادهنّ المناصل
وإنْ سَدّدَ الأعداءُ نحوك أسهمًا رَكَضْنَ على أفواقهنّ المعابل

»Te timent hastae in humeris fortium atque intra vaginas suas enses reformidant.

»Si te sagittis hostes petunt, cuspides retrorsum ad crenas feruntur.«

Expeditiones autem atque equitatum, qui in rebus bellicis praecipuas partes agit, quomodo descripserit, paulo longiori specimine ostendendum est: Metr. Camel.

المتّقي بالخيل كلّ عظيمةٍ والمستبيح بهنّ كلّ عرمرمِ
ومزيرها الغورَ الذى لو سلّمت ريحٌ على أرجائه لم تسلمِ
او بكّر الوسميّ يطلب أرضه نفدَ الربيع وتُربها لم يوسمِ
لا تستبينُ فيه النجومُ تنائيًا ويلوحُ فيه البدرُ مثلَ الدرهمِ
هذا وكم جبلٍ عصاه اهله فهوت عليه مع الطيور الحُوّمِ
وأجازها قُرُفات كلّ منيفةٍ وكرُ العُقاب بها وبيتُ الأعصمِ
فوطئن أوكارَ الأنوق وروّعت منها وبات المُهر ضيفَ الهيثمِ
علمت واضعفها الحذارُ فلم تطِرْ من ضعفها فكأنّما لم تعلمِ
وبعيدةِ الأطراف رعن بماجدٍ يردين فوق أساودٍ لم تطعمِ
ترعى خوافي الربد في حجراتها سغبًا وتعثر بالغطاط النوّمِ

»Formido ingens tuis vicibus functa est, et ea pro te metus effecit, quae exercitus non praestitissent.«

يَجْمَعْنَ انفُسَهنّ كى يَبْلُغن ما يَهْوَى فمُجْفرهنّ مثلُ الأقصم

ضَمرَتْ وشزّبها القيادُ فأصْبَحَتْ والطرفُ يَرْكُض فى مَساب الأرقم

مثلُ العرائس ما آنثنتْ من غارة الاّ مُخضَّبةَ السنابك بالدم

»(Accede ad asseclas imperatoris illius,) qui turmis suis omne periculum defendit, omnem concidit exercitum,

»Et eas ducit per terras depressas, quarum in tractibus si ventus flaret, non salvus evaderet[1]),

»Quas si vernus imber mature peteret, prius tamen ver praeterlaberetur, quam solum earum viresceret[2]),

»In quibus propter longinquitatem sidera non cernuntur neque drachma maior fulget luna.

»Tum autem in quot montes, quorum incolae contra (regem) illum rebellaverant, demiserunt sese equi illi cum avibus rapacibus[3]).

»Eos egit ille per cacumina altissimi cuiusque montis, ubi aquilae nidus est et caprae montanae domicilium.

»Vulturum perterritorum nidos calcaverunt et equulus apud pullum aquilae hospes pernoctavit.

---

1) Asperitatem locorum hac eadem imagine pluries significavit, ut in hoc versu: Metr. Wafer.

ومن غَلَل تحيدُ الريحُ عنه مَخافةَ أنْ يمزّقها القتادُ

»Quot saltus humidos (perlustravimus), a quibus ventus declinat, ne spinis katadi (arboris) laceretur.«

2) Hoc et subsequenti versu significatum est quam remotae sint terrae illae.

3) Sc. tanto impetu feruntur, ut de alto avium more deorsum ruere videantur; حوم de avibus proprie dicitur, quae super praedam in gyrum volant.

»Senserunt (vultures eos accedentes), sed metu fracti non avolaverunt, quasi non sensissent [1]).

»Quoties exercitum late distentum cum viro illustri terrefecerunt (equi) currentes super angues ieiunas [2]).

»Struthiocamelorum plumas prae fame in eorum lateribus depascebant et in katis dormientibus caespitabant [3]).

»Contrahebant sese ad optata eius perficienda ita, ut crassi gracilibus similes fierent.

»Exiles evaserunt et cursu emaciati sunt adeo, ut quisque per foramina anguis curreret.

»Sponsis similes non redeunt ab expeditione ulla, nisi ungulis sanguine tinctis [4]).«

Atque hoc in eodem argumento: Metr. Wafer.

---

[1]) Haec descriptio tota videtur ab hoc Motenabbii versu desumpta (vid. de Sacy Chrestom. III 13.):

Metr. Tawil.

تدوس بك الخيل الوكور على الذرى

»Tecum equi in verticibus montium nidos conculcant.«

[2]) Scil. super hastas a fugientibus proiectas, nullo adhuc sanguine tinctas. Etenim hastae propter formam atque flexibilitatem saepe cum anguibus comparantur. In hemistichio priore ex commentatorum consensu supplendum est كتيبة.

[3]) Scil. fugientes tam acriter insequebantur, ut cibi sumendi moram non admitterent neque quidquam ederent, nisi struthiocamelorum plumas in currendo decerptas. Eodem velocitas quoque eorum declaratur, quippe qui struthiocamelos assequantur et katas, avium vigilantissimas, imprudentes invadant.

[4]) Quippe sponsae solent rubro h e n n a e succo ungues inficere.

وخيلًا لو جرت والريحُ شأوًا ظننّا الريحَ أوثقها إسارُ

غدت ولها حُجولٌ من لُجينٍ وراحت وهي من علقٍ نُضارُ

فأشبعت الوحوشَ فصاحبتها كأنّ الخامعاتِ لها مِهارُ

„Equos (agis) veloces adeo, ut ventus, si cum eis de cursu certaret, vinculis constrictus esse videretur.

„Mane prodierunt notis argenteis insignes; vesperi quum redierunt, eaedem sanguine in aurum erant conversae.

„Ferae, ab eis satiatae, comitantur eos, hyaenas putares eorum pullos esse [1]).“

Absoluto illo casidae veteris velut orbe, alia quaedam genera supersunt, quae aut suos habent locos inter carmina proprios aut alienis passim inspersa reperiuntur. Haec ad quatuor capita commode reducemus, quae his Arabes nominibus signare solent: هجاء, افتخار, رثاء, حكمة; eadem nobis erunt: satyra, laus sui, genus lugubre, sententiae. Quorum priora duo, ut natura sunt cognata, ita coniuncta plerumque reperiuntur. Ideoque idem utriusque erit exemplum. Nam dum malo cuidam poetae, qui se conviciis insectatus erat, Abul-Ala respondet, eum si-

---

[1]) Scilicet turmas illas, quum magnam in bellis stragem facere soleant, hyaenae consequuntur, occisorum corpora voraturae. Huic prorsus similes duo vide Motenabbii locos (de Sacy Chrestom. III. 11 et 13.), ubi pulli vulturum finguntur Saif eddaulae equos, quum cibi copiam ab eis accepissent, pro matribus suis habere.

mul acerbissime carpit et se ipse simul atque gentem suam summis extollit laudibus: Metr. Tawil.

وَرَآئى أَمامٌ والأَمامُ ورآءُ   اذا انا لم تُكْبِرْنِى الكُبرآءُ

بأىّ لسانٍ ذامنى متجاهلٌ   علىّ وخفقُ الريح فىّ ثنآءُ

تكلّم بالقول المضلّل حاسدٌ   وكلّ كلام الحاسدين هرآءُ

ومن هو حتى يحمل النُّطقَ عن فمى   اليه وتمشى بيننا السُّفرآءُ

وإنّى لَمُثْرٍ يا ابنَ آخرِ ليلةٍ   وإنْ عزّ مالٌ فالقُنوع ثرآءُ

ومُذْ قال أنّ ابنَ اللئيمة شاعرٌ   ذوو الجهل مات الشعر والشُّعرآءُ

تُساوِرُ فحلَ الشعر او ليثَ غابةٍ   سفاهًا وانت الناقةُ العُشرآءُ

أَتمشى القوافى تحت غيرِ لوائنا   ونحن على قُوّالها الأُمرآءُ

وأىّ عظيمٍ رابَ أَهلَ بلادنا   فإنّا على تغييره قُدرآءُ

وما سَلَبَتْنا العزّ قطّ قبيلةٌ   ولا بات منّا فيهمُ أُسرآءُ

ولا سار فى عُرض السّماوة بارقٌ   وليس له من قومنا خُفرآءُ

ولسنا بقفْرَى يا طَغامُ اليكمُ   وانتم الى معروفنا فُقرآءُ

„Pars mei posterior fit anterior, anterior autem posterior (sc. totus perturbor), nisi principes me magni faciant.

„Quanam lingua mihi conviciatus est, qui ignorantiam mei simulat (sc. qui praestantiam meam, licet agnoscat, nolit confiteri), quum ipsi venti fremitus laudes meas praedicant?

„Vana locutus est invidus atque delirium est omnis invidorum sermo.

„Quid est hominis, ut ex ore meo verba ad eum ferantur et inter nos intercessores commeent?

„Opulentus ego sum, pessime [1]), et si divitiae deficiunt, est etiam animus contentus pro opulentia.

„Ex quo istum scorti filium ignari poetam esse dixerunt, periit poesis atque poetae.

„Admissarium poeseos aut lustri leonem desipienter aggrederis, quum tu camela sis gravida. [2])

„Num sub aliis signis ac nostris carmina incedent, quum eis, qui ea condunt, nos simus imperatores?

„Quodcunque malum genti nostrae minatum erit, nos valemus depellere.

„Nulla unquam nobis tribus honorem ademit neque ulli apud eos captivi ex nobis pernoctaverunt.

„Neque ulla per Samawae tractus nubes transit, quin de gente nostra patronos habeat. [3])

„Vos non estis nobis opus, hominum infimi, nostris vos beneficiis indigetis."

Satyram praeter hanc nullam habet, sed multa eiusdem argumenti aliis carminibus passim inspersa reperiuntur; quibus tamen non certum quemdam hominem, ut in

---

[1]) Ad verbum: fili noctis extremae, scil. qui sub finem temporis inter duo menstrua medii a matre conceptus est. Quippe, qui eo tempore procreatus esset, eum Arabes ignavum ac turpem fore arbitrabantur.

[2]) Poetas praestantissimos notum est admissarios poeseos ab Arabibus vocari. Leo lustri metaphora utitatissima virum strenuum significat armis circumdatum; verum hoc loco ad praestantiam poeticam videtur esse referendus.

[3]) Sc. tanta in his terris potestate pollemus, ut ipsae nubes, ut tutae sint, patrocinio nostro necesse est utantur.

illa, insectatur, sed in cunctos obtrectatores et ignarum invidumque vulgus invehitur atque se ipse omnino insanis laudibus celebrat.

Qualia haec sunt: Metr. Tawil.

تُعَـدُّ ذُنوبى عند قومٍ كثيرةٌ ولا ذَنْبَ لى الّا العُلَى والفواضلُ

كأنّى اذا طُلْـتُ الزمانَ واهلَه رَجعتُ وعندى للأنامِ طوائلُ

وقد سار ذِكْرى فى البلاد فمن لهم بإخْفاءِ شمسٍ ضوءها مُتكاملُ

يَهُمُّ الليـالى بعضُ ما انا مُضْمِرٌ ويُثْقِلُ رَضْوَى دونَ ما انا حاملُ

وانّى وانْ كنتُ الأخيرَ زمانُه لآتى بمـا لم يَسْتَطِعْه الأوائلُ

„Sunt, qui culpas meas permultas esse arbitrentur, sed nulla mihi culpa est, nisi sublimitas et excellentia.

„Postquam hanc aetatem eiusque generationem superavi, non quidquam inde lucratus videor praeter hominum invidiam.

„Laus mea per orbem terrarum est diffusa; quis istis (invidis) spondeat, solem, cuius lux perfecta est, unquam occasurum esse?

„Ipsam fortunam sollicitam haberet pars eius, quod ego in animo recondo et onus eo, quod sustineo, levius Radhuam montem gravaret.

»Atque licet (poetarum) aetate sim extremus, ea tamen produco, quae prisci praestare non valuerunt.«

Nec minus insolenter: Metr. Wafer.

وكم من طالبٍ أَمَدى سَيَلْقى دُوَينَ مكانىَ السبعَ الشدادا

ويَطْعَنُ فى عُلاى وانّ شِسْعى لَيَأْنَفُ أنْ يكـونَ له نِجادا

ويُظْهِرُ لى مَودّتَه مَقالًا ويُبْغِضُنى ضميرًا واعتقادا

فلا وأبيك ما أخشى انتقاصا ولا وأبيك ما أرجو ازديادا

لى الشرف الذى يطأ الثريا مع الفضل الذى بهر العبادا

أفلّ نوائب الايام وحدى اذا جمعن كتائبها احتشادا

„Quotuscunque fastigium meum affectat, qui septem coelos ante offenderet, quam locum meum assequeretur.

„Atque altitudinem meam lacessit, sed lorum calcei mei dedignaretur ei balteus fieri.

„Verbis amorem erga me simulat, intus autem toto pectore me odit.

„Per patrem tuum! neque deminutionem timeo neque incrementum spero. [1])

„Mihi est excelsitas, quae Pleiades calcat, atque praestantia supra mortales eminens.

„Solus fortunae vices profligo, quum legiones suas congregant.“

Haec omnia aeque tumide Abul-Alam sensisse ac dixerit, equidem, dum universam viri indolem perpendo, vehementer dubito, neque puto quemquam integram eorum fidem esse defensurum, quasi non dixisset, nisi sensisset. Nam, quum exempla poetarum superiorum et Motenabbii maxime, qui eiusmodi habet plurima (vid. Bohlen p. 25), ei obversarentur, quid potuit fieri facilius, quam ut, quid

---

[1]) Nullum huic sententiae aptiorem commentarium adiecerim, quam hic est Motenabbii versus: Metr. Basit.

من كان فوق محل الشمس موضعه فليس يرفعه شى ولا يضعه

„Cui supra solem sedes est, eum neque extollet quidquam neque demittet.“

ipse valeret, etiam in hoc genere experiri voluerit, tum autem, quemadmodum in alienis, sic in suis laudibus, nimio mire ac nove dicendi studio perductus, longe ultra verum animi sensum processerit? In quam sententiam eo magis inducor, quod ipse, ut supra vidimus, artem sibi poesin videri confessus est, in qua alios quisque mores intimo animo teneat, alios speciei causa prae se ferat.

Sed haec quidem hactenus. Transeo ad genus tertium, carmina lugubria, quae quidem magnam partem in laude versantur, eaque plerumque duplici, defuncti scilicet et lugentis, sive filius fuerit, sive frater aut amicus. Hanc partem, quum ad carmina laudatoria, de quibus supra diximus, proxime accedat, nunc praetermittemus; nisi quod notandum est, defuncti laudes, prout res postulat, non tam, ut alias fieri solet, viri potentiam ac fortitudinem, quam virtutes atque aeternam, quam meritus sit, beatitudinem spectare. Caeterum, ut in eis potius consistamus, quae sunt huius generis propria, quibus imaginibus in moerore animi describendo usus sit, hoc ostendemus specimine ab elegia, qua patrem mortuum prosecutus est, desumpto:

Metr. Tawil.

نقمت الرضى حتى على ضاحك المزن   فما جادني الا حبوس من الدجن

وليت فمي ان شام سنى تبسمي   فم الطعنة النجلاء تدمى بلا سن

كأن ثناياه اوانس يبتغى   لها حسن ذكر بالصيانة والسجن

لقد مسخت قلبي وفاتك طائرا   فاقسم الا يستقر على وكن

يقضى بقايا عيشه وجناحه   حثيث الدواعي في الاقامة والظعن

كأن دعاء الموت باسمك نكرة   قرت جسدي والسم ينفث في اذني

»Gaudium mihi invisum est usque adeo in risu nubis (sc. fulgure), neque ulla me velim irrigari, nisi tristi nube atque caliginosa.

»Utinam os meum, si minimus dentes risus denudaverit, simile fiat ori vulneris hiantis, sanguine manantis, carentis dentibus.

»Dentes meos (absconditos teneo), ac si puellae essent nobiles, boni nominis causa arcte custoditae.

»Decessus tuus transformavit cor meum in avem atque iuravit in nullo nido se constiturum;

»Et aetatem reliquam consumit, alis inter commorandi studium et migrandi perpetuo agitatis[1]).

»Nomen tuum, a morte appellatum, fuit audienti mihi quasi serpentis morsus, qui corpus meum dilaceravit, veneno in aurem indito.«

Atque haec in hoc genere figura nescio dicam, an imaginatio, eo dignior est memoratu, quo et Abul-Alae usitatior; scilicet aegre se ferre ait, defuncti corpus humo tradi atque putredini. Hoc quam variis modis conformaverit, ex his speciminibus licet perspicere: Metr. Khafif.

لا يُقبّرْكُمْ الصّعيدُ وكونوا فيه مثلَ السّيوف فى الأغمادِ

فعزيزٌ علىّ خلْطُ الليالى رِمَّ أقدامكم برِمِّ الهوادى

---

1) Cordis ex metu aut dolore palpitatio agitatis in volitando volucris alis saepe comparatur. Eodem imagine palpebrarum quoque motus declaratur, ut in hoc Abul-Alae: Metr. Basit.

كانّ جفنىّ سقطا نافرجزع اذا اراد وقوعا ريع او ذيدا

»Palpebras meas putares alas esse avis fugientis pavidae, quae quum se demittere vellet terrefacta sit aut exagitata.«

»Ne vos humus vitiet! durate in eo, ut gladii in vaginis.

»Aegre ferrem, pedum vestorum pulverem cum pulvere collorum tempus permiscere.«

Iam autem in ipsis praecordiis vult eum sepeliri:

Metr. Khafif.

واغسلاه بالدمع ان كان طهرا   وادفناه بين الحشا والفؤاد

»Lacrymis eum abluite, si modo purae sint (h. e. sanguine non mixtae), et inter viscera et intestina eum sepelite.«

Neque hoc etiam contentus: Metr. Tawil.

فليتك فى جفنى موارى نزاهة   بتلك السجايا عن حشاى وعن ضبنى

ولو حفروا فى درة ما رضيتها   لجسمك ابقاء عليك من الدفن

ولو اودعوك الجو خفنا مصيفه   ومشتاه وازداد الضنين من الضن

»Utinam in palpebra mea reconditus esses! quippe ventrem et latus non digna puto, quae tantas virtutes recipiant.

»Neque, si in margarita corpori tuo sepulcrum foderent, essem contentus, adeo sepulturam a te defendere studeo.

»Et si aeri te crederent, aestum hiememque tibi timeremus, atque angeretur nostra tenacitas.«

Sunt etiam huius generis ornamenta quaedam propria, qualia duo a corvo et columba petita imprimis memorabo. Illum enim propter nigrum colorem et voces sinistras pro vate mali atque nuntio lugubri ab omni antiquitate Arabes habuerunt. De eo Abul-Ala: Metr. Camel.

طار النواعب يوم فاق نواعيا   فندبنه لموافق ومناف

اسف اسف بها واثقل نهضها   بالحزن فهى على التراب هواف

ونعيبها كنحيبها وحدادها   ابدا سواد قوادم وخواف

»Volaverunt corvi die, quo vita decessit, mortem eius nuntiantes atque tam adversariis quam amicis laudes eius praedicaverunt.

»Dolor depressit eos atque moerore gravatus est nisus eorum ita, ut prope humum graviter volarent.

»Crocitationes eorum sunt tanquam naeniae, et vestis eorum lugubris est in aeternum nigritudo pennarum plumarumque.«

Et in argumento tristi quasi iocose ipsos corvi crocitus pro homoeoteleutis habet carminis: Metro eodem.

مِن شاعِرٍ للبين قال قصيدةً يرثي الشريفَ على رويّ القاف

»O poeta discessus, Scherifum elegia celebrans, cuius versus in k a f littera exitum habent.«

Columbas autem propter vocem querulam flebilemque Arabes putant columbam quamdam in antiquis temporibus mortuam deflere et si ipsi lugent, in societatem querelarum vocare solent, ut quatuor illi versus lepidissimi poetae veteris testantur (Ibn Khall. ed. Wüstenf. IX, 145.). Quos Abul-Ala, si argutias quasdam inspersas exceperis, his versibus videtur imitatus esse:

Metr. Khafif.

أَبَنَاتِ الهديلِ أَسْعِدْنَ او عِدْ ن قليلَ العزاءِ بالإسعادِ

إِيهِ للهِ دَرُّكُنَّ فأنتنّ اللواتي تُحسِنَّ حِفْظَ الودادِ

ما نسيتنّ هالكًا في الأوان الـخالِ أَوْدَى من قبل هُلك إيادِ

بَيْدَ أَنِّي لا أرتضي ما فعلتنّ وأطواقُكنّ في الأجيادِ

فتسلّبن واستعرن جميعًا من قميص الدُّجَى ثيابَ حِدادِ

ثم غَرِّدْنَ في المآتمِ واندُبْنَ بشَجْوٍ مع الغواني الخِرادِ

»Hadili[1]) filiae, opem ferte (in lugendo) vel opem pollicemini (mihi) consolationis inopi.

»Bene sit vobis, vos excellitis constantia in amore.

»Non estis oblitae illius (Hadili), qui in aetate antiqua ante Iadi interitum[2]) periit.

»Sed non grata sunt mihi, quae facitis (sc. querelae vestrae), donec torques in collis geritis.

»Ornamenta exuite atque omnes de amictu noctis vestes lugubres mutuamini.

»Deinde in lugentium consessibus querelas modulamini, et cum virginibus pudicis moestae lamentamini.«

Verum praecipuum huius generis ornamentum, meo iudicio, sententiae (sive alio nomine graves illas de morte commentationes signare malueris) apud Abul-Alam efficiunt. Quarum praestantissimas, quum in quartum genus, quod statui, incidant, una cum aliis quibusdam sententiis Diwano passim inspersis, speciminum loco proferam, sic scriptiunculae meae finem impositurus.

De fragilitate rerum humanarum.

Metr. Sari.

اىّ جَديدٍ لك لم تُبْلِهِ وايّ أَقْرانك لم تُرْدِهِ

تَسْتأْسِرُ العِقْبانَ فى جَوِّها وتُنْزِلُ الأَعْصَمَ من فِنْدِهِ

أَرَى ذوِى الفَضْلِ وأَضدادَهم يَجْمَعُهم سيلُك فى مَدِّهِ

كم صائنٍ عن قُبْلةٍ خَدَّهُ سُلِّطَتِ الأَرْضُ على خَدِّهِ

وحامِلٍ ثِقْلَ الثَّرَى جِيدُهُ وكان يَشْكُو الضَعْفَ عن عِقْدِهِ

---

[1]) Sic Arabes fabulosam illam columbam vocant quae Noachi tempore a falcone occisa fuisse fertur.

[2]) Hoc positum est pro tempore quovis antiquo. Iad fuit filius Nezari qui Maadi qui Adnani.

(O tempus!) Quam vestem tuam novam non attrivisti? quem aequalium tuorum non perdidisti?

Aquilas in aere corripis, rupicapram de suo vertice detrahis.

Praestantes et infimos hominum torrens tuus in aestus suos colligit.

Quam multae genis oscula defendebant, quarum in genas nunc saevit humus!

Quot monili se gravatas querebantur, quae nunc magna terrae onera collis sustinent!

Fragmentum eiusdem argumenti.

Metr. Khafif.

كُلُّ بيتٍ للهَدْمِ ما تَبْتَنِي الوَرْ قاءُ والسيِّدُ الرفيعُ العِمادِ

والفتى ظاعنٌ ويكفيه ظِلُّ السِدْرِ ضَرْبَ الأَطنابِ والأَوتادِ

بانَ أَمْرُ الإلهِ واختلفَ النا سُ فداعٍ الى ضَلالٍ وهادِ

والذي حارتِ البريّةُ فيه حَيَوانٌ مُسْتَحْدَثٌ من جَمادِ

واللبيبُ اللبيبُ من ليس يَغْتَرُّ بكونٍ مصيرُهُ للفسادِ

Omnis domus ruitura et ea, quam columba exstruit, et excelsae principis aedes.

Homo viator est brevi discessurus, cui, dum sit arboris umbra, non opus est funes palosque instruere (sc. ad tentorium statuendum).

Consilium Dei (de vita futura) manifestum est, sed homines discordant; alii ad errorem vocant, alii recte ducunt.

Hoc mortales reddit perplexos: animans ex materie creatum.

Is autem est vere sapiens, qui vita se non sinit decipi, quae ad dissolutionem tendit.

Vitam licet mis[...]am morti anteponimus.

Metr. Tawil.

وَجَدْنا أَذَى الدُّنيا لَذِيذًا كأنّما   جَنَى النَّحلِ أصنافُ الشَّقاءِ الّذي نَجْنِي

فما رَغِبَتْ في الموت كُدْرٌ مَسِيرُها   الى الوِرْدِ خِمْسٌ ثمّ يَشْرَبْنَ من أَجْنِ

يُصادِفْنَ صَقْرًا كلَّ يومٍ وليلةٍ   ويَلْقَيْنَ شرًّا من مخالبه الحُجْنِ

ولا قَلِقاتُ الليل باتَتْ كأنّها   من الأَيْنِ والإدلاجِ بعضُ القنا اللُّدْنِ

ضَرَبْنَ مَليعًا بالسنابك أربعًا   الى الماء لا يَقْدِرْنَ منه على مَعْنِ

وخوفُ الرَّدَى آوَى الى الكهف أهلَه   وكلّفَ نُوحًا وٱبْنَه عَمَلَ السُّفْنِ

وما ٱستعذَبَتْه روحُ موسى وآدمٍ   وقد وُعِدا من بعده جَنَّتَيْ عَدْنِ

Molestiae huius vitae iucundae nobis videntur, ac si variae, quas carpimus (percipimus), miseriae apum essent messis (sc. mel).

Non expetunt mortem katae aves, quae quinto quoque die bibitum eunt atque aquam bibunt vitiatam,

Quaeque singulis diebus noctibusque in falconem incidunt, et ungulis eius aduncis male mulcantur.

Neque (onagri), qui noctes agunt inquietas (sc. venatorum metu) et ex fatigatione et cursionibus nocturnis hastis flexilibus facti sunt similes,

Quique, postquam terram aridam per quatuor noctes ungulis percusserunt, aquam petentes, ne tantillum quidem inveniunt.

Mortis metus septem illos dormitores impulit in speluncam et Noacho eiusque filio navium aedificandarum labores iniunxit.

Neque animis Mosis et Adami dulcis visa est, quamquam paradisi horti eis erant promissi.

De amicitia.

Metr. Basit.

لا تطويا السرّ عنّى يوم نائبة فانّ ذلك ذنب غير مغتفر
والخلّ كالماء يبدى لى ضمائره مع الصفاء ويخفيها مع الكدر

Amici, nolite secretum vestrum, si quid vos malum perculerit, a me occultare; haec enim culpa est non ignoscenda.

Amicitia est aquae instar, quae interiora, si pura est, aperit, si impura, celat.

De societate.

Metr. Wafer.

ولو انّى حبيت الخلد فردا لما احببت بالخلد انفرادا
فلا هطلت علىّ ولا بأرضى سحائب ليس تنتظم البلادا

Si mihi soli beatitudo aeterna impertiretur, soli ea frui non placeret.

Nolim me agrumve meum pluvia irriget, nisi quae terrarum omnium sit communis.

De mediocritate.

Metr. Tawil.

تحامى الرزايا كلّ خفّ ومنسم وتلقى رداهنّ الذرى والكواهل
وترجع اعقاب الرماح سليمة وقد حطّمت فى الدارعين العوامل
فان كنت تهوى العيش فابغ توسّطا فعند التناهى يقصر المتطاول
توقّى البدور النقص وهى اهلّة ويدركها النقصان وهى كوامل

Fata mala ungulis parcunt, dorsi fastigia exitiosis eorum plagis tanguntur [1]).

---

[1]) Metaphora est ab equo et camelo petita; quorum sua utrique verba respondent.

Hastarum mucrones imi integri redeunt, quum cuspides in loricatis confractae sunt.

Si vivere cupis, mediocritatem opta, nam in fastigio rerum brevi permanet ambitiosus.

Luna, quum nova est, a deminutione tuta est, plenam decrementum consequitur.

De iuventute.

Metr. Basit.

اذا الفتى ذمّ عيشًا في شبيبته   فما يقول اذا عصرُ الشباب مضا

وقد تعوّضتُ من كلّ بمُشْبِهِهِ   فما وجدتُ لايّام الصِبَى عِوَضا

Si quis vitam in eius flore vituperat, quid dicet, quum iuventutis tempus abierit?

Rem omnem, quamcumque amisi, alia simili supplevi, adolescentiae autem nullam inveni compensationem.

De eadem.

Metr. Wafer.

وعيشتيَ الشبابُ وليس منها   صِباىَ ولا ذوائبـى الهِجانُ

وكالنار الحيوةُ فمن رَمادٍ   أواخرُها وأوّلُها دُخانُ

Vita mea sola est iuventus; neque pueritia ad eam pertinet neque canities.

Igni vita est similis; extrema cinis sunt, initia fumus.



Bonnae, typis Fr. P. Lechneri.

6365
SIA